



# **Bellum septimestre, sive Aria a Gallis obsessa, et capta, moxque ab Hispano recuperata Anno MDCXLI**

<https://hdl.handle.net/1874/26385>

~~263 F 8~~  
BELLVM SEPTIMESTRE.

SIVE

ARIA

A GALLIS OBSESSA,

ET CAPTA,

MOXQVE

AB HISPANO RECUPERATA.

Anno M. D. C. XLI.


*Auctore M. IOANNE HVMETZIO Presbytero Ariensi,  
& quondam apud Nervios Rhetorices  
Professore.*



AVDOMARI,

Typis Viduæ CAROLI BOSCARDI, sub signo  
Nominis IESV. 1644.

BIBLIOTHEEK DER  
RIJKSUMIVERSITEIT  
UTRECHT.



GENEROSO ATQVE INCLYTO VIRO  
D. GVILLIELMO BERWOVT  
MILITIAE REGIAE TRIBVNO,  
CIVITATIS ARIENSIS GVBER-  
NATORI:

REGIIS EIVSDEM OPPIDI OFFI-  
CIALIBVS:

NEC NON SPECTATISSIMO  
SENATVI ARIENSI.

## AD LECTOREM.

**V**TRIVS QVE Arienſis obſidionis hiftoriam eo animo aggreſſus ſum, ut quidquid de eâ inſigne, ac memorabile toto orbe fama circumtulit; ſcriptorum etiam fide illuſtratum, atque obſignatum in lucem emanaret. Quippe virtutis maxima merces, præmiũque memoria eſt: maximè ſi, ne eſſuat, litteris mandata, pro monumento exemploque poſteritati tranſmittatur. Quis enim vel ſi vetera bella in mentem reuocet; tot virtutum, & facinorum decora; multiplicem Gallicis ferro fameque illatam cladem: ad mœnia Urbis pugnas; ſimul extra Urbem ferendo præſidio, hoſtique propulſando certamina: fortunæ viciffitudines: edita demum cœlo ſoloq; portenta ſquàm annotauerit aut paria, aut crebriora? Quocirca hoc in animo habui ſtudere maximè, ne tantarum rerum, meritorumque dignitas ſcribentis errore aliquo, aut nœuo inſiceretur. Ac ne quid temerè adſertum exiſtumes; conſcientiam tibi primùm, tum meos & oculos reſtes facio, qui per Vtriuſque obſidionis tempus omnium, ac ſingulorum, quæ intra Urbem geſta ſunt, obſeruator accuratus; nec tantum ſpeculator fui: lætis etiam à me, atque examinatis Arienſium quorundam, ſimulq; hoſtium commentarijs; ex quibus velut ex fonte, quæ intra extrauè Urbem acciderunt, eâdem, quâ tradita.

## AD LECTOREM.

tradita fide, hausi. Neque de gestis nostrorum, quæ hic asse-  
 ro, cuiquam dubitare fas fuerit. Quippe quæ à primarijs du-  
 cibus mihi relata, ac scripto etiam tradita, dein à plurimis  
 ciuibus, qui in castris hæserant, confirmata. Quinimò non  
 abs re existimaui Magistratum Ariensem, Officialesq; Regios  
 scriptorum meorum censors adsciscere; à quibus sedulo exa-  
 minatam teste simul veritatis sigillo munitam recepi. Quid  
 iam dubites amice Lector; nisi famam alienam, aut nomen  
 fortè læsum iri? sed procul ab hoc periculum. Siquidem haud  
 immemor grauius numquam Authores delinquere, quàm cum  
 suo freti iudicio aliorum censuram respuunt: noxas eiusmodi,  
 si quibus nostra scateret historia, à religiosissimis viris in-  
 dagandas, rescindendasque curauit. Ideoque nihil inclemen-  
 tius liberiusuè de hoste quidquam scribere, nec impensius  
 Principum ac Ducum nostrorum laudem exaggerare: hæsitare  
 mihi potius ac trepidare visum est, perinde ac si cautè magis,  
 sine fucis tamen, aut laruis, quàm liberè mihi agere liceret,  
 ut quidquid à Dei Optimi Maximi Deiparæq; beneficijs me-  
 morabile: quidquid à Ducibus militibusque præclarum vel  
 ex hoc belli genere vicissitudineq; inauditum existit, cædidiè  
 innoxieque posteris documentum, exemplumq; inclaresceret.  
 Postremum id latinè perfeci, certus utique styli mei tenui-  
 tatem re ipsa, quæ satis per se claret: insuper tradentis ani-  
 mo prorsus sincero & veritatis amico compensatum iri.

# SVMMA PRIVILEGII.

**P**HILIPPVS IV. Hispaniarum & Indiarum Rex Catholicus, ac potentissimus Belgarum & Burgundionum Princeps, diplomate suo sanxit, nequis M. IOANNIS HVMETZII *captam ac recuperatam Ariam*, citra eiusdem voluntatem, intra sex annos proximos imprimat; aut alibi terrarum impressam intra sui Regni fines importet venalemque habeat. Qui secus fecerit & confiscatione exemplarium, & trium carolinorum pro exemplaribus singulis pœna mulctabitur. Vt̄ latius in Regio diplomate expressum habetur. Datum Bruxellis in Concilio priuato vigesima sexta mensis Octobris. 1643.

*Subsignato.*

*E. de Berti*

Suprà memoratus IOANNES HVMETZIVS hoc idem priuilegium Viduæ CAROLI BOSCARDI cessit durante concessio sibi per idem priuilegium tempore.

# APPROBATIO.

**E**GO infra scriptus, attentè & exactè perlegi Libellum, cui titulus est *Bellum septimestre, siue Aria à Gallis obsessa & capta, moxque ab Hispano recuperata, anno 1641. Auctore M. IOANNE HVMETZIO Presbitero Arienfi, & quondam apud Nervios Rhetorices Professore*: testorque nihil me in eo deprehendisse quod Catholicam Religionem, aut bonos mores offendat, quominùs in lucem emittatur vt ab omnibus euolui possit. Actum Audomari die 21. Martij. 1644.

Ioannes Garolus de Longueval  
Sacrae Theologiae Licentiatus,  
Canonicus Audomarensis &  
librorum Censor.

*Pag. 20. lin. 18. adorari legatur odorari.*

*Pag. 42. ad marg. redulsio legatur repulsio.*

*Pag. 62. lin. 14. in manus deleatur in.*

*Pag. 67. lin. 9. vt legatur at.*

*Pag. 99. lin. 8. Creuoderij legatur Crewderij.*

NOMINA REI MILITARIS NON-  
nulla Gallicè expofita.

A

M

**A**CCENSVS. Sergeant.  
*Aeneator*. Tambour.  
*Aggeres*. Lignes de circumuallati-  
ons.  
*Annonarius*. Viuandier.

*Machina*. Canons.  
*Munimentum*. Demi-lune, boluaire,  
fort.  
*Munitio*. Redoute.

B

*Baculus defultorius*. Brinfoc.  
*Balifla*. Mortier à ietter les bombes.

*Olla incendiaria*. Bombe.  
*Optio*. Lieutenant.

C

*Centurio*. Capitaine.  
*Chiliarcha*. Colonel.  
*Cohors*. Compagnie d'infanterie.  
*Cohors Tribunitia*. Compagnie Co-  
lonelle.  
*Capia*. Troupes.  
*Cuniculus*. Mine.  
*Cuniculorum Architectus*. Mineur.

*Pons farmentifus*. Pont de fascines.  
*Pontes mifiles*. Ponts legers.  
*Propugnaculum* Boluaire, batterie.  
*Protribunus*. Lieutenant Colonel.

P

S

F

*Fiftula maiores*. Moufquets.  
*Ignes mifiles*. Feus d'artifice.  
*Impedimenta*. Bagage.

*Sariffe*. Picques.  
*Sclopeti*. Moufquets.  
*Signifer*. Alfer.  
*Suppetia*. Secour.

T

L

*Legio* Regiment.  
*Lerica*. Parapet.

*Tormenta bellica*. Canons.  
*Tribunus*. Colonel.  
*Turma*. Compagnie de Cattaillerie.

V

*Vallum*. Tranchee, parapet.  
*Vexillifer*. Alfer.  
*Vinea*. Tranchees.





# ARIÆ PRIMA ORIGO EIVSQVE DESCRIPTIO.

**D**E Arienſis vr̄bis obſidione ; deꝗue præclaris Ducum, militũꝗue, ac ciuũ facinoribus ſcripturus : operẽpretium exiſtimaui paucis perſtringere: quæ ſit eius vr̄bis origo ac ſitus; quæ Fundatorum dignitas, atque amplitudo ; ſimul quẽ incolarum natura, mores, ac ſtudia habeantur.

Aria igitur Artheſiæ oppidum, tribus Au-  
domaropoli leucis diſtans, ad Liſam amnem  
ſitum eſt: habetꝗue vicinam Flandriam, quã  
partẽ ad Septentrionem vergit. Pomœrium  
vr̄bis haud amplum quidem, ſi murorum  
ambitum molemꝗue inſpicias : illuſtrius ſui  
origine, ac initijs, quæ abs retrò annis circiter  
mille accerſit. Enimuerò Liderico Buc-  
cenſi, ſupremo Flandriæ Saltuario, primam  
eius originem non pauci adſcribunt: quippe  
qui relicto Bucco caſtello ad Inſulam, huc

*Aria ſitu.*  
*Liſa Flumine.*

*Origo Vr̄bis.*  
*Lideric forreſtier de Flandre.*

A com-

Emergardæ. commigrarit. Adduntque excitum cum hæ-  
 reditario iure ( quod per Emergardæ matris  
 obitum adierat ); tum verò maximè loci a-  
 mœnitate, delitioque. Siquidem Arienſis a-  
 ger, quaquà patet, præterquam frugum ferti-  
 lis, bonuſque pecori: cœlo etiam molliori, ac  
 ſalubri gaudet. Planities, quę inter colliculos  
 deiectior, Liſâ amne, Laquettâ, Madikâque  
 fluuiolis humeſcit: atque exinde arborum &  
 graminis ferax. Hic ergò Lidericus conſtru-  
 ctis ædificijs, circiter annum Chriſti 640.  
 Oppiduli, ſeu Burgi ſpeciem primus excita-  
 uit. Et verò quâ illic parte Laquetta, & Ma-  
 dika interfluunt, conſtructum olim fuiſſe ab  
 eo palatium, aduſque hæc tempora cum vo-  
 cabulo fides remanſit. Trans Liſam quoque,  
 ad ipſum Diui Martini collem, alterius caſtri  
 molitionem aggreſſus eſt: arcendis videlicet  
 exterorum incurſionibus, qui ex portu Iccio  
 delapſi, ad interiora Flandriæ graſſabantur.  
 Addunt eidem caſtro primum Præfectum  
 fuiſſe Engelbertum Liderici affinem: qui e-  
 tiam ( prout ex ſepulchrali marmore ad Diui  
 Martini conſtat ) primus omniũ, qui extitère,  
 Ariēſis ciuis nomine, ac titulo inſignitus eſt.

De

EIVSQVE DESCRIPTIO. 3

De nomine, *Aria*, diuersa, ac diuersimodè Nomen Aria unde.  
 plerique commenti. Sunt enim, qui à græco, ἀρια; quod Martem: alij à theutonico, **Arien**;  
 quod aquilam sonat, deductum volunt: quasi documento eâdem magnanimitatem, tesserâ Insignia vr-  
bis Aquila.  
 ciuicâ, quæ Aquilam candidam scuto purpureo admittit, etiam animis prætere-  
 terum ij vero propiùs opinari mihi videntur, qui id nominis à veteribus Romanis accer-  
 sunt: qui domitis Morinis, eaque loca insi-  
 dentes, quâ planiora inter monticulos proia-  
 cent ( quod modò Ariam dicimus ) Aream  
 ab ipsa planitie nuncupauère.

Verùm vt ad Oppidi exordia reuertar: Qui Princi-  
pes Ariam  
incoluère.  
 defuncto Liderico, Antonius eius filius, ad  
 quem cum hæreditate, parentis in hunc lo-  
 cum animus transierat: delectatus primùm  
 domicilio, tum muro, ac fossis oppidulum  
 muniendi curam suscepit. Aggressus etiam  
 templi molem eximiam D. Iacobo Apostolo, Primum A-  
ria templum  
Dino Iacobo  
dicatur.  
 ( quem Maiorem vocant ) vbi defuncti par-  
 tis corpus humaretur. Cæterùm neque is A-  
 riensium cursus, qui Antonio duce, prosperè  
 fluere cœperat, diu tenuit. Quippe ad an-  
 num 679. cum Antonium mors fato prope-

ro, ac sine liberis abstulisset: cęsoq̄ue postmo-  
 dum ad Veromandos fratre eius Burchar-  
 do: Pipinus 2. Austrasię Rex Arię oppidi,  
 simulq̄ue subiectę Prouincię possessionem ad-  
 ijt : eoq̄ue deinde ad Gallicum Imperium  
 prouecto, Aria ad Gallum peruenit: nec sine  
 laudis atq; amplitudinis monumento. Nam  
 Pipinus palatium iithic condidit, (quod mo-  
 dō Gubernatoris domicilio addictum est) v-  
 bi & liberis suis, adiecto Isbergę filię Sacra-  
 rio, veluti gymnasium quoddam pietatis esse  
 voluit. Id D. Isbergę Sacrarium, quod adhę-  
 rens ædibus, D. Petri templo adiacet, anni-  
 uersario cultu visitur coliturq̄ue.

*Pipini Regis  
 Palatium A-  
 rię.*

Excepit Pipini Regis in hanc urbem af-  
 fectum Carolus filius, cui ob virtutem Mag-  
 ni cognomētum, atque imperium accessit. Is  
 sororem suam Isbergam fraterno animo cō-  
 plexus, plurima eidem intrā extraq̄ue Ariam  
 priuilegia concessit. Ibidem quoque Paren-  
 tem Pipinum, Matremq̄ue Bertham defun-  
 ctos condidit; quorum etiam nunc ossa in D.  
 Petri templo ad chori ambitum delata, iisdē-  
 que ad murum picturā expressis, mediamq; Isbergam complexis, asseruantur.

*Pipini &  
 Bertha con-  
 iugis sepul-  
 chrum.*

Post

Post hæc anno Domini circiter 890. effusi in Belgicas partes Normanni, ceu procella quedam exitialis, non exiguam quoque Arię stragem intulere. Quippe circūiacentia non modò, sed & ipsum oppidū cum edificijs: simulq; Liderici castrum ad D. Martini collē, corruptum est. Concidit etiam per id tempus Diui Iacobi templum; quod postmodò Balduini Pij, siue Insulensis munificentia, D. Petro Apostolorum Principi restitutum est. Quamquam & variæ ante hunc fortunæ vicissitudines, labentibus annorum spatijs, intercessere: etiam in ijs, qui post Lidericum Harlebecanum, clauum tenuere. Sed nullus inter tot Principes Balduino, (cui Pij cognomen ob pietatem datum) affectu in Ariensem populum, aut maior, aut par exitit. Is enim deformatum incendio Oppidum nouis edificijs ornauit: is insigni mole templum D. Petro Apostolo à fundamentis erexit: is concinendis diuinis laudibus Prepositum, & Canonicos 14. instituit, dotem addixit: atque eadem sacram, à seque conditam, nobilissimis Diuorum pignoribus locupletauit. Siquidem abs eo Principe D. Petri Dens: itemq; Diui

*Normanni Arien-  
tiam vastar.*

*Balduinus Insulensis templum reedificat, ac Diuo Petro Apostolo dedicat.*

*Prepositi & Canonici Arien-  
sum prima institutio.*

Adriani Martyris Brachium acceptum est. Auget præterea eiusdem templi venerationem anterior Capitis pars D. Iacobi Apostoli, quam Philippus Elsatius Balduini filius Cōpostellâ redux, summis apud Abbatem, Monachosque Vedastinos precibus, impetrarat. Accessit præterea pars spectabilis ligni sanctissimæ Crucis, quam solutâ obsidione Medionalensi ab Urbano III. Pontifice Maximo ( qui inibi à Barbaris conclusus attinebatur ) in beneficij monumentum acceperat. Auctus est ab eodem Elsatio Canonicorum numerus: at variâ dote, vicibusque. Porrò Præpositi apud Arienfes dignitas, magni semper habita, & præcipuè apud Belgas nobilitatis nominibus decorata: quod & in eo, qui hanc modò dignitatem obtinet perillustri Domino Baltazare Francisco Noyellio comper- tum est; in quo ad profapiae decora inclarescens virtus, maiori imperio maturefcit.

*Præpositura  
Arienfis.*

*De Noyel-  
les.*

Porrò vt omisso Arthesiæ dominatu, ea dumtaxat attingam, quæ ad Ariam attinent: constat anno 1477. de totâ Arthesiâ armis, grauiq; bello, disceptatū fuisse. Causam aiūt Maximiliani Austriaci, cum Mariâ Burgundicâ,

EIVSQUE DESCRIPTIO. 7

dicâ, harum ditionũ hærede, matrimonium, Quippe exhinc graues, & quasi ex repulsa iracundiæ, apud Ludouicum XI. Gallię Regem, qui Mariam Carolo Delphino suo deposcebat. Neque enim, capto per id tempus Atrebato, expugnatifque Lendio, ac Bethunijs, Ariensis ciuitas procellæ immunis fuit. Mansitque hoc oppidum in Gallorum potestate; donec tandem anno 1493. recuperato Atrebato, interque Philippum Archiducem, Regemque Gallię sancita pace, rursum ad Burgundos redijt. Iterũ tamen, vt res humane incertę, & inconstantes, præsertim eę, quæ studijs mortalĩ nituntur, sub annum Christi 1521. horrendo bello inter Carolum V. & Franciscum I. Gallię Regem exorto, Arthesia tota armis patuit. Neque parum apud Arriam trepidatum est: eo maximè quòd captis iam Bapalmis, Haldinio, Rentiaco: vicina quoque Terrianna Morinorũ ciuitas (quam Gallus obtinebat) proximam Arię perniciem minitari videretur. In eum finem edicto Cesareo, ædes Beatæ Virginis, quæ ad suburbium secundo Lisa extructa erat, solo re- quata: ac deinde ad fori viciniam de nouo

*Aria à Gallis  
capta anno  
1482.*

*Terrianne.*

*Templum B.  
Virginis ad  
suburbium  
destruitur &  
in urbe re-  
dificatur.*

CON-

Preuost.

N. Dame  
en Aire.

Incolarum  
MORIBUS.

construētā; in qua sanè augendā decorandāque, Pauli Preuotij ( qui eam Parœciam 36. annos administrauit ) industria haud exiguam laudem iure obtinet. Colitur in eo tēplo Beatæ Virginis imago, quæ sicuti antea *extra Ariam*, ita modò *B. Virgo in Aria* nuncupatur. Ex eo tempore perstitit Ariēse oppidum, quamquam inter variam belli, fortunæque aleam, ad vsque annum 1641. quo iterum in potestatem Gallorum recidit: effractis per machinas muris, non ciuium animo, qui eundem constanter, vt pace, ita bello victi retinuēre.

Atque hic locus me admonet, vt de incolarum moribus, & ingenio: deque domicilijs vrbicis, ac operibus, quæ nunc extant, pauca attexam. Est Ariensis populus magnâ vi & animi, & corporis ingenio quoque bono, & ad præclara quæuis apto. Neque verò ex rebus gestis fama vnquam dubitauit. Indoles ipsa ita primis statim annis emicat, & ad virtutem propensa est: vt quilibet ad honestarum artium studia facilè adolescat. Neque intereà ad arma segnes, parciuè, vbi de Religione præsertim ac fide in Regem dimicatio est:



est: quod nuperâ obsidione, aliâsq̄ue satis superq̄ue innotuit. Documentum rei ea quoque in vrbe platea, quam *Arenariam* vocant; in quâ olim ciues, veluti in arena hastiludijs, varijsq̄ue in se inuicem incurfionibus, se ad bellum exercebant. Promiscui ciuium mercaturæ, atque opificijs vacant, nec pauci etiam litteris: & si qui illi, peracri ingenio, ac diligentia (vt in re omni assolent) atque adeo supra vulgus. In oppido præter Gubernatorem (qui modò ob testatam in re bellica peritiam Guilielmus Berwoutius eò dignitatis prouectus est) Consiliarius, Syndicus, Quæstorq̄ue Regij censentur. Ad hoc Magistratus ciuicus Primario, seu Majore (vt vocant) reliquisq̄ue vndecim Scabinis constans: quibus accedunt Ex-scabini, ijque ad causas publicas, ius & authoritatem retinent.

Rue du fa-  
blon.

*Prefectura  
& Magistratus  
urbis.  
Berwout.*


Quod ad ædificiorum molem attinet: præter suprâ memorata templa; Nosocomium Diui Ioannis Baptistæ conspicitur, veteri & commodo ædificio: cui recentius ad augendam pietatem, vrbemq̄ue sacris Religionum ordinibus muniendam: cùm Franciscanorum (quos Capucinos appellant) cœnobium;

tum Patres Societatis accessere. Monialibus item varij iuxta ordinis, atque instituti, claustra quoque, ac domicilia diuersa, addicta sunt. Præterea sacrorum Ascetarum vrbica ædificia, ad quæ ex agro, sequentibus bellis per fugium suum, re ac nomine habere solent.

*Munitio vr-  
bis.*

Et hæc quidem in vrbe, quam veteris ac lateritij muri ambitus cingit: procurrentibus ad ipsas fossas, perque stata interualla propugnaculis; quæ maximè successu temporis, & à diuersis Præfectis adiecta, eorundem cognomenta retinere. Cæterum quoniam & hæc ipsa, hodierni belli viribus machinisq; imparia erant: munitio quoque exterior, præter loci naturam situmque, arte questita. Hinc circum vrbem, transque ipsius fossas, extructa humo munimenta varia, eaque suis vallis, ac loriceis, cum seruando militi interno; tum externo arcendo opportunè communita obijciuntur. Arque hic erat vrbis propemodum status, quâdo exercitus Gallicus anno 1641. obsidionem illi admouit. Quod hoc opere, cui modò accingor, Lectori exponendum suscepi.

*ARIA*



# ARIA OBSESSA ET CAPTA;

SIVE  
OBSIDIONIS ARIENSIS  
PARSPRIMA.



**G**ALLI post debellatum Hef-  
dinium, victosque Atrebates,  
tantę suę felicitàs lænocinio  
capti; Arię oculos adiecêre,  
quam vnam, nè securi Flan-  
driam intrarent, obstare sibi ægrè ferebant.  
Quippè æstimato vrbis situ, ac fortitudine,  
eam simùl multo præsidio vicina Flandria  
tuebatur. Nam præterquàm quod Lisam flu-  
uium, submittendis suppetijs percommo-  
dum haberet; bello iam atroci dudum perfe-  
uerante, ad vrbem munimenta, & fossas, qui-  
bus se tueretur, adiecerat: suas huic loco vi-  
res, ac salutem veluti commissura. Gallus er-

*Gallorum A-  
riam obsidendi  
deliberatio*

*Difficultas o-  
peris.*

go cum quod moliretur arduum, ac perdifficile esse haud ignoraret; non tam victoriae fiducia, quam cupiditate festinabat. Neque enim tantæ molis obsidionem inchoari Regi fixum, placitumque erat; quam tot patentes Flandriæ aditus, quibus auxilia submitti possent, obstruerentur. Cæterum Myllerus Gallicæ militiæ Præfectus, 19. Maij Anno 1641. ad Nouam-fossam, quæ tuædæ Flandriæ longè, satèque obtenditur, cum copijs peruenit.

*Mylle-  
raye.*

*19. Maij.  
Neuf-fosse.*

*Delli-Ponti.*

Illicq; circa aditus difficultates Ioannes Delli-Pontius, (cuius ex gestis vivit in ore militum fama celebris) cum in exiguo milite nullam tanti repellendi exercitus spem haberet; hucque defendendæ urbi opportunioreratus; ad eam quoque, hostem arcente Lisa, contendit. Aderant cum ex ipsius; tum ex Alonsi Strozzi legione undecim cohortes: quarum duæ Tribunitiæ, ipsi Delli-Pontio ac Strozzi specialiter addictæ erant: reliquarumque hi Duces recensebantur: Ioannes Baptista Gentano: Ioannes Iacobus Crispus: Franciscus Maringas: Ascanius de Palma: Saluator Ruffinus: Ioannes Antonius Ferrarius: Carolus Campus: Philippus Strozzius: Andreas Speransa:

*Præsidium  
urbis.  
Strozzi.*

ranfa:

ransa. His Wallonum itidem ac Flandrorum quatuor aliæ cohortes successere; Ducibus Hughuone D'Anthinio: Francisco Carondeletio: Nicolao Hondegghaemio: Ioanne Richepotio. Porro simul in vrbe qui hiberna habuerant Michaël Roblesus, Biblius Baro equitum turmam: Michaël Lescaninus: Iacobus Nonnesius: Antonius Gironius: Franciscus Perezus Præfecti Hispanorum quatuor cohortes: Franciscus Salpruicius: Ioannes Winusius Comitum Estræi, & Anapij geminas ducebant: præter Croatas, qui quia castris augendis opportuniore, vrbe discessere.

Hottis interim Nouam-fossam, cum adiectis munimentis, insolito strepitu occupare: neque tamen incruento Marte Italæ quinquaginta, aduersus hostium vim numerosam strenuè illuc, fortiterque dimicantibus: conclamare Flandriam: profugos qui huc cum armentis & suppellectili è vicinis pagis defluerant, deprædari: vnde quaque terrorem inferre: victoriam scilicet illustrem arbitrati oculis dumtaxat Flandriam perlustrasse: nec posse Hispanum deinceps locum tueri, quem vel Gallus intueretur. Hinc traiecto Lisa,

D'Anthin.  
Caronde-  
let. Hon-  
degghem.  
Richepot.  
de Robles,  
Baron de  
Billy.  
Lescane.  
Nonnez.  
Girone.  
Perez.  
Salpruic.  
Wins.  
Estré.  
Anape.

*Progressus  
hostium ad  
Lisam.*

*Hostis Flan-  
driam popu-  
latur.*

Haze-  
brouc.Cassel.  
Balieul.

Gassion.

Suburbio-  
rum destru-  
ctio.  
Neuf-pré.

quidquid adiri locorum poterat, direpto Haze-  
brouc (vicus est Flandriæ insignis, ac præ-  
diues, gemino paulò plus milliari, Ariam dis-  
tans) ad vsque Oppidulorum Casleti, & Ba-  
lioli fines irrupère. Mylleræus citrà fluuium  
excitatis subitò munimentis, obsidionis ini-  
tia iam tùm agitabat; superatisque opinione  
citiùs tot difficultatum angustijs; mox ex-  
pugnandæ vrbis spe animum augebat. Hinc  
dato sub vesperam, ac repetito bellicis tor-  
mentis signo; Gassionius equitum Præfectus,  
qui rei exitum è vicino colle præstolabatur,  
ingenti impetu in Audomarense ad Ariam  
suburbium copias acceleravit: quod videlicet  
aquarum copiam, quæ varijs fluuiolis isthac  
restagnabant, diuerti posse arbitraretur. Sed  
rei agenda difficilior quàm opinabatur, ac-  
cessus fuit: spissa vallorum mole, simul mili-  
tum manu obsistente. Quocircà ne suburbia  
eiusmodi posthac insidijs paterent, flammâ  
manuque deleta sunt. Ad hæc Nouo-praten-  
sis villa, vt vrbi propior, ita quoque infestior  
in hostis potestatem venerat: cui nempè de-  
pellendo altè circuitu arbores, simul aquæ &  
modici aggeres accessum prohibebat. Nihi-  
lo

lo feciùs tamen nostri postridiè eò hostem aggressi; quibus fracti, deiectiq̃ue domorum parietes, pro vallo erant, telis flammisq̃ue appetere cœperunt: totâq̃ue sæuiente machinis vrbe, stragem haud exiguam hostium factam fama memorauit.

Vbi porrò quod dubijs antea præfagijs de Arienſi obsidione ferebatur (nam in trepidatione erant Audomarum ac Bethunia) constitit; paribus vtraque studijs ciuitas, ne quid Arienſibus ad tutelam deesset, adlaborauit.

Quippe Audomaro Antonius Becurtius equitum Centurio, non rarò ad hostium vsque stationes cum turma progressus; ita acriter constanterq̃ue iisdem incessit, vt non sine cæforum captiuorūq̃ue exuuijs redierit. Bethuniâ quoque Philippo Bonniersio vrbis Præfecto adlaborante, centum quadraginta Itali milites in vrbem excepti, quos Ioannes Tafſauuius ac Bernardus Laborantius perduxere. Post paulò Venâtiopoli Siluerio Quinioneso Hispano, Christianoq̃; Cauainio Hiberno ducibus haud pauciores successere. Illi per diem difficiliq̃; per hostes itinere: hi per noctem desultorijs ad superandas fossas baculis instructi.

*Auxilia vicinarum urbium.*

Becourt.

Bonniers.

Tafſo

Laborant.

S. Venant.

Quion-  
nes.

Cauain.

*Castrorum  
distributio.*  
*Tresse.*  
*D. Lamberti  
pagus, vulgò  
Lambres.*  
*Ransaux.  
Coëllin.  
Richelieu.*  
*Gassion.*  
*Seneterre  
Baron de  
la Ferté  
Nabert.*  
*Longue-  
ual.  
Moulin de  
Conte.*  
*Bellefonte.*  
*Iumelle,  
Guische.*  
 instructi cum appulissent; mirum quam in-  
 solito gaudio urbem affecere. Gallus re cog-  
 nitâ, distributisque per Oppidi ambitum sta-  
 tionibus in obuios aggerem subitò ac muni-  
 menta excitauit. Myllerus in agro Tressensi  
 ( qui S. Isbergæ pagum à D. Lamberti diui-  
 dit ) postquam humentis soli mollitiem de-  
 mersis fascibus operuerat, confedit: proxi-  
 mus ei Comes Ransauxius: ab hoc Marchio  
 Coëllinius; hîc Richelij Cardinalis pronepos  
 cum Heluetijs variè constitutis præesset, di-  
 uersa quoque statiuâ habebat. D. Lamberti  
 pagus; quâ iter est Bethuniam Gassionio ob-  
 tigit: asseruandæ annonæ celebrem illîc me-  
 morati Diui ædem sibi adiecit. Henrico Se-  
 neterrio Firmitatis Naberti Baroni, D. Quin-  
 tini ager cessit: affixis hîc insuper coquendo  
 pani officinis. Achilli Longueuallio Molen-  
 dinum Comitum statio data est. Diui Andreae  
 Cœnobium curandis agris sauciisque sedes  
 addicta. Paludem illam quæ Cœnobio latè  
 obiecta est Gigaltij Bellefontij legio occupa-  
 uit. In editiore loco, qui Iumellam pagum &  
 Molèdinum Comitum interiaceret Guischij Co-  
 mitum tentoria erant. Lisæ & Flandriæ latera  
 Hel-



Heluetij fortiti sunt. Ager qui trans D. Martini ædem à veteri nosocomio ad vsque munitionem ( quam Flandriæ caput appellant ) se extendit, equitibus statio fuit. Porrò vt totius exercitus illustriorem ordinẽ exponam : hæ sub signis erant equitum legiones: prima Mylleræi cum adiūcta cataphractorum Nobilium cohorte : altera Gassionij Germanis Croatisque 1600. instructa : tertia Guischij ; quarta Ransauxij : quinta Eurichemontij ; sexta Geburæi Marchionis ; septima Coëslinij : octaua Marchionis Lenōcurtij ; nona Vicecomitis Mōbasij ; decima Fortuncouij : vndecima Wictefeldij : 12. Seneterrij. Hæ peditum sequebantur : legio Prætoriana Heluetiorũ : Nauarrica duce Marchione à Sancto Georgio. Picardica ; Bolonica : Britonum ; Campanica ; Taurinensis ; Hibernica ; Malarezij ( quem militiae summum Legatum aiebant ) Marinensis ; Fiatij ; Brezæi ; Achillis Longueuallij ; Gigaltij Bellefontij ; Firmitatis Imbautij ; Marchionis Canisij ; Latrimoullij ; Ramburij , Castellauuij , Bordonnæi , Walbernie. Malarez. La Marine. De Fiat. Brezé. Lōgueual. Bellefôte. La Ferté Imbaut. Canisi. Latrimoulle. Rābures. Castelaüe. Bordonné

La teste de Flandre.

Equitum legiones.

Mylleraye.

Gassion, Guishe.

Ransaux.

Eurichemont.

Gebures.

Coëslin.

Lenoncourt.

Mombas.

Fortuncoue. Wictefelde.

Seneterre.

Peditum.

Regiment des gardes Suisses.

De Nauarre. Picardie. Boulogne.

Bretagne.

Cāpaigne.

Turin. Hi.

Bellefôte.

Bordonné

C

montij,

Walmont. Obeterre. Pont-château. Buscilamet. Crewder, & Frewder Suiffes.

montij, Obeterrij, Ponticastellij, Buscilameti; Wolgangi Crewderij, Francisci Frewderij Heluetiorum.

*Obsessorum  
defendende  
vrbi studia,  
& appa-  
tus.*

*Aque arden-  
do hosti la-  
xantur.*

*Calquette.  
De Lieres.  
Brucet.*

His ita constitutis, statim ac ciuitas tanto se impeti apparatu conspexit; ad semet tuendi curam animum conuertit: quòque hostium vis ac conatus acrior, eò militum ciuiumque pectoribus, nè se subderent, maiores faces subdidere. Primùm quidem exstructis humo munimentis, simul loci naturâ genioque præsidium accersere adlaboratum est. Quippe humido solo aquas vberes suppeditante, ars etiam ducendis fluminibus, quò latius manarent, atque hostium tentoria sternerent, accessit. Ad hæc Berwoutius vrbis Præfectus, (qui variâ obsidionum experienciâ inclaruerat) cum Ioanne Delli-Pontio, milites subito in suam gentem, ac stationem distribuere cœpit: simul coactis in vrbe nouis militum cohortibus, vires animosque ad resistendum auxit. Quocircà Hermannus Calquetius equitum: Renatus Liersius, ac Petrus Bruce-tius peditum Centuriones effecti. Franciscus

Gar-

Garbæus cum Arnoldo Labbenſi Iuuenum Garbe.  
 Arieniſium agmini præſſe iuſſus. Porrò Ber- Labben.  
 woutius præter vrbiſ imperium; portam Au-  
 domarenſem, accitiſ eò Hiſpaniſ, occupauit.  
 Marianam verò cum Italiſ Delli-Pontiuſ ob-  
 tinuit. Ab eo cum Walloniſ Robertuſ Ca- Catrice.  
 triciuſ (quem Arię natum patria indoleſ, ac  
 virtuſ, ad uſque Tribunitiam dignitatem ex-  
 tulère) Atrebatenſem portam ſortituſ eſt.

Interim Baro Billiuſ magni ac generoſi a- Baron de  
 nimi iuueniſ, vt non modò hoſtiſ ad vrbem Billy.  
 acceſſuſ; ſed & accedendi impetuſ, æſtuſ-  
 que retardaret; cum Caſquetio in hoſtium  
 ſtationeſ incurrit: equoſ 22. reduxit: neque  
 ſegniter poſtmodum hoſtilia tormenta, ob-  
 ducto (vt ſolent) clauo, corrumpere cona-  
 tuſ. Pedituſ ſimul ac ciuiuſ eadem conten-  
 tio, deſerto oppido, hoſtem circuire; modò  
 cædere: modò prædari, captiuuſque; adduce-  
 re: accedente illiſ tamquam in vię ducem A-  
 driano Brunellio; cuiuſ pro conſeruanda Pa- Brunel.  
 tria, & populariuſ ſuorum ſalute, par virtu-  
 tiſ animuſ, audaciaque indefeſſa ſemper e-  
 micuit.

Inter hæc inhorreſcere cælum; venti im- Tēpeſtas ca-  
 li horrenda.  
 C 2 menſo 24. Maij.

menso nubium tractu debacchari: nimbis  
 collidentibus tonitrua mugire: rutilare ful-  
 gura; fulmina præmicare: ciues non pauci in  
 solum adacti: arserè etiam flammis hostium  
 tentoria; fulminisnè incussi, an fortuito alio  
 igne, incertum. Nec ciuitas ipsa damno ca-  
 ruit. Quippe cum plurimi ciuium ad Parthe-  
 niam eadem, tamquam ad misericordię aram,  
 confluxissent; seu vt Numẽ offensum sibi pro-  
 pitiant: seu vt Virginis clementiam pieta-  
 tis officio sibi demerentur; turriculam sa-  
 crę ædis flamma fulminatrix afflavit potiùs,  
 quàm percussit. Quod quidẽ afflatum quem-  
 dam cœli nonnulli existimauère; quo ciues,  
 nè suo fortassis vitio salutem vrbs officerent,  
 admonebantur. Quamquam quid nos humi-  
 strati, in cœca hac errorum caliginè contem-  
 dimus obscuris vestigijs adorari Dei iudicia,  
 humano planè inaccessa intellectui; quorum  
 hæc prima laus est, non posse intelligi? Neq;  
 mihi fixum est ita ciuium causæ patrocinari,  
 (quãquam à probitate optimè audiant) quasi  
 nullus esset in vrbe, qui hanc suo crimine ex  
 irato cœlo vindictã accersisset. Vti enim in-  
 ter vulgus, noxarum: ita non rarò supplicio-  
 rum.

rum contagia quædam existunt. Atque adeo existimem hunc diuinitus iniectum esse terrorem, ut pœna perueniret ad nullos; pœnæ timor ad omnes: non quod rei essent; sed nè essent.

Hæc ubi à cœlo desæuière, & precibus utcumque pacato: Senatores togæ præfidia suo adiunxère. Cum enim ærarium continuatis belli expensis exhaustum, sustinendæ obsidioni impar esset: Ecclesiasticorum; Laicorumque concessui, hæc in quæstionem à Ludouico Layæo vrbis Syndico adducta.

*Augendi ærarij cura.*

Layæ.

*Cum obsidio, ob impensas, magni ac perdifficilis negotij habeatur: tum & obses succurrere; & obsidentes repellere, ærario à pecunijs vacuo, res est magis voti, quàm spei. Totam habemus ante muros excitam sedibus suis Galliam: procliuus erit hostem non admittere, quàm excludere. Miles qui hanc molem sustineat nobis exiguus est; ac selectus. Nititur huius robore nostra salus. Hoc nè eneruetur efficiet belli neruus, pecunia. Priuata aliquorum munificentia, erit publici exitij redemptio. Pateat ærariu, nè claudatur saluti aditus. Quæstioni vniuersa concio assensa est: nec modò pecuniam; sed etiam frumenti vim erogauit.*

Rhode  
Argentier.

In quo Ioannis Rhodij Quæstoris vrbici cæteris præcelluit munificentia. Conflandis in super nummis, argentea vasa è fœneratorijs ædibus commodatò accepta. Forma autem, variæ iuxtà magnitudinis, ac pretij, quadrata erat: cui & hoc exaratum, atque à Gubernatore suggestum, legebatur.



Siquidem ità opportunè hoc ille excogitavit; vt ciuitas non Regem dumtaxat; sed & Patrem Patriæ habere se meminisset. Et nè essent, qui fortè annonam flagellarent: cauit quoque Magistratus, iusto ac moderato cibarijs quibusque, indicto pretio: nè quid paucorum libido, plurimorum vtilitati officeret. Atque ità dum conspirantibus studijs feruet opus, neque ciuium, militumque pietas deferbuit: neque inter tot negotia vacabat religio: vtpotè quorum hæc prima erat cura, vacare

Obsessorum  
pietas.

care culpâ. Constatq; in vna B. Virginis Pa-  
ræcia (dum prior hæc obsidio tenuit) ad 36.  
millia sacrorû Eucharistię orbiculorum con-  
sumpta. Atqui hæc priuata fuit aliquorum  
contentio, & quasi in vmbra; quam deinde  
publica omnium, tâquam ad Solem, illustrior  
secuta est. Quippe Canonici, simul Magistra-  
tus in offusis illis Rei publicæ tenebris, quò  
cæteris ad pietatis officia facem præferrêt; ad  
õnia puluinaria supplicatiõnẽ decreuêre. Ad  
hęc vbi ad arã fecerat Sacerdos (quod diebus  
singulis vsurpabatur) Deiparæ simulachrum  
antiquis illustre monumentis (illudq;e, vt  
suprà memorauimus, à suburbij in vrbem excep-  
tum, *Maria in Aria* nomen obtinuit) frequen-  
ti & Mystrarum, & popularium pompâ vica-  
tim circumferebatur. Tantaq;e erat omnium  
ad Virginis aram religio, tantaq;e pietas, vt  
cum illuc irent, non ad simulachrum Virgi-  
nis; sed ad Virginem ipsam proficisci viderentur.  
Ceterùm nec Arienſium pro religio-  
ne studia in alijs quoque rebus defuêre. Do-  
cumētum est Sacrosanctum Eucharistię Fer-  
culum, per vicos delatum; iterumq;e in ara,  
(quam in medio D. Petri, Canonici erexe-  
rant)

Publica vrbis  
vota.

rant) repositum: cui Senatores venerabundi, claves tamquàm depositę ciuitatis argumentum, obtulere. Atqui nè precatu tantum apud Deum agerēt; voto etiam vrbis salutem pacti sunt: Maiorum videlicet more, quorum ad hanc diem, antiquum viget religionis monumentum. Quippe qui anniuersaria D. Michaëlis luce (quã aliàs oppidum instructas à Gallis inuidias euaserat) publicę gratiarum actioni, & supplicationi vrbem adstrinxere: gloriosum nempe arbitrati, si accepto à Maioribus documento, victorię anniuersarium diem apparatusissimo supplicationis cultu prosequerentur. Quod votum, scripto simul ac voce editum, arę postea affixerunt. Ad hæc è superiore loco P. Eduardus Gallotius Societatis Iesu, post varia argumēta, quibus diffidentes ad spem erigeret; paucis hisce verbis perorauit.

Gallot.

SACRA AD OBSESSOS  
EXHORTATIO.

2. Para. 20.

26. Maij.

**C**VM ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te: *vides omnium, & ci-*

*uium*



*uium & militum oculos in te conuersos; quos per-*  
*uerfitas prius sceleris, nunc supplicij reos fecit! Spē*  
*nostram acuit quia nos miseri sumus, tu misericors.*  
*Eadem, quæ tibi fuere seges exercenda vindictæ,*  
*scelera nostra; dum eorum nos penitet, sunt materia*  
*clementiæ. Cuius tutelâ cum nitatur nostra salus;*  
*tibi tamquam libertatis nostræ vindici committi-*  
*mus Urbis claves, vel reddendas nobis: vel tradē-*  
*das hosti. Perindè nobis est aditum ad salutem clau-*  
*das, vel aperias. Erit seruata ciuitas trophæum*  
*tua clementiæ; amissa monumentum iustitiæ. Hoc*  
*interim unum omnium est votum, ut quæ pro me-*  
*rito patimur mala, nè mali simus, boni consulamus.*  
*Hæc oratio multis gemitum, lachrymasque*  
*doloris indices expressit. Quàm verò ciues*  
*accuratè pietatis officio perfuncti sunt; pa-*  
*tuit dum erga defunctos, atque imprimis Pa-*  
*stores, qui in urbem è vicinis pagis defluxe-*  
*rant, quotidie officiosos sese exhibuerunt: v-*  
*tique à pijs eorum Manibus, purgante iam*  
*flammâ ereptis, etiam urbis ac ciuium liber-*  
*tatem affuturâ sperantes; iusta persoluebant.*  
*Atque hinc factum est, ut tot luculentis vir-*  
*tutum exemplis prouocati milites; ipsi quo-*  
*que è Cœlitibus certos ad tutelam præfides*

*Pastorum fi-*  
*nitimorum*  
*in urbe exer-*  
*citia.*

*Vicinarum  
urbium pie-  
tatis officia.*

De Fran-  
ce.

sibi adoptarint: quorum exinde sacras icones ad singulas stationes appendere: rati illis defensoribus ac presidibus, non minimum ipsis quoque munimentis robor accessurum. Nec Audomarum, aliasq; vicinas vrbes, ad eiusmodi religionis munia pigriores reddidit Arienſium calamitas: vt quæ alienum malum ex proximitate, ac totius Patriæ bono æstimaret. Argumento est Christophorus Francius Audomarenſis Episcopus: qui quoties suos ad implorandum Numinis auxilium cõpellaret; suspirijs quoque ac gemitibus quasi pro spiculis utebatur.

Hostis interim cupiditate victoriæ quamquam inflammatus, festinare tamen vix audebat. Quippe maximum accessui impedimentum aquarum copia, quæ per ingens spatium diffusa erat: nec minor in comœatu difficultas; propterea quod aperta planities camporum, Hefelinium vsque, monticulis interrupta, syluisq; abundans, insidijs atque Hispanorum incursionibus infesta esset. Eam ob rem Mylleraus Cardinali Richelio litteras scripsit: iam quidem exercitum aduersus exteras suppetias communitum, quassandæ

tot-

tormentis vrbi proximum esse: at cautum fore, si priusquam discrimen experiretur, annonam alendo exercitui copiosam properatò submitteret: aliàs intutam fore victoriam. Submissi igitur 1200. currus cum annona, bellicaque supellectili; quos Marchio Gebureus cum quatuor equitum millibus comitabatur: eique tria insuper millia ad augenda castra accessere; ducibus Marchione Karinio, ac Dommontio; quem ipsius Richelij à custodijs militaribus Protribunum aiebant. Ceterum Mylleraeus etiam nunc haud parum anxius, Patrem quemdam è castris Cyrillum nomine, Ordinis Minorum D. Francisci ad se aduocat, eique amicitiam suam spondet; si per speciem religionis, seu pietatis quidpiam de obsessorum consilijs, ac viribus percunctari auderet. Obtemperat: signoque vrbi dato, Gubernatorem ad colloquium compellat. Hic bellicæ calliditatis haud ignarus, suspectum hominem, stomachosius non tam audire, quàm remittere. Ille verò occurrentibus Delli-Pontio, & Catricio has verborum phaleras adornare: *Redire se ex Dina Isbergæ pago, ubi sacrum D. Venantij corpus asser-*

*Hosium ad castra suppetie.*

Karin.  
Dómont.

*Dolus hosticus.*

uari *vetus fama est : moueri se religione, nè quid per insolentiam militarem ( ut fit ) sacris reliquijs iniuriæ accerferetur : quapropter dare se in obfidē; donec emissus vrbe Sacerdos, qui sacra pignora tutò in oppidum reportaret . At illi ex bellicæ rei, quâ pollent solertiâ dolum odorati ; vbi aliquâdiu varium de exercitu sermonem contulerât; hominem irritis dolis ad suos remissere: grauiora insuper comminati , si deinceps ex Religioso, & militem & infidiatorem ageret.*

*Accessus hostium ad urbem.  
9. Iunij.*

Porro nona Iunij luce, quâ ab inchoata obsidione mensis propemodùm effluerat, ad suburbia Mariana, vbi aquæ penuriam varia aggerum moles compensabat; vineas in urbem duxere. Mylleræus à læua; à dextra Guischius in eundem propè angulum coituri: conspirantibus etiam militum animis, accessere. Hispani verò vbi in hoc latus totam acciri belli molem, & vnicum impeti ab hoste locum perspexerunt; miro animi ardore, assignatas isthïc priùs Italis stationes æmulati, in partem discriminis iuxtà, ac gloriæ admitti rogarunt. Et verò quâ fidelitate erant, atque alacritate, facillè impetrauere. Successere ijs etiam Wallones, quos par æmulatio,

*Obsessorum vnic, & se tuendi ardor.*

& glorię ardor stimulabat. Dignaq; profectò admiratione res erat, tanta adeoque rara diuersę gentis fides, & coniunctio: vt veterani nonnulli affirmarint, nil sibi vsquam iucundius accidisse; quàm hac in obsidione, tam insolitum mutui amoris, pacisq; inter milites, ac ciues vinculum: ex quo haud dubiè victoriam augurabantur. Rebus ità constitutis Numen implorare; animum noxis eluere: hinc pugnare; in hostem excurrere; obire pericula feruor incredibilis erat. Ipsa munimenta, ceu sanctioris loci aditū, Franciscus Couroublus, & Adamus Baudius Societatis Iesu, diu noctuq; obsidere salutis animorum intenti: milites sepe opportunèq; hortari; ad Dei amorem fiduciamq; accēdere; sacris denique contra pericula amuletis præmunire.

Courou-  
ble.  
Baude.

Interea hostis, cum ducendo circà urbem aggeri ( qui ad quinque plus leucas porrigebatur ) sese occupasset; varijsq; aduersus exteras suppetias præfidijs communisset: Idibus tandem Iunijs propugnaculo admoto, mœnia primùm quinque machinis: tum & tredecim quater aggressus est. Quæ quidem prima tormentorum explosio, magno sanè

Hostis urbem  
quatit.

13. Iunij.

D. Petri ædis exitio cessit : quod proxima ad muros, supraque ipsos assurgente mole, occurfantibus frustratisque ad mœnia globis, iniuriæ pateret. Interim urbano milite oppugnantium certamen, non sustinente modo, sed etiam fortiter propulsante; tantus missilium imber hostes incessabat, qui pro effossis ad urbem vijs stabant; ut cum pauci incolumes, vel integri ad castra redirent; nec imperio minisque adigerentur; proposito demum præmio allici necessum fuerit. Constatque diei operam, plus aureo scuto cuique militum laboranti æstimatam. Inde expectata nostris veluti hucusque cædis occasione, dum furiosè hostiles aggeres incurrunt, non sine illata clade, quam animis præceperant, rediêre. Ad hæc ubi maturare Ferdinandi Principis suppetias fama nuntiauit: Mylletus nè auxiliariis copijs accedentibus, discederent officio milites, contra pericula; aut periculi metum, his eos verbis accendere conabatur. *Maëte animo milites; Hispanorum exercitum in proximo adesse rumor nuntiat: sed neque hunc maiora vero tradere ignoratis: utque aliter sit; hanc vobis à fortuna gloria segetem (cuius su-*  
*prà*

*Obsessorum  
in hostem ir-  
ruptio.*

15. Iunij.

præ cæteras nationes auidi estis) offerri putandum est. Quapropter hoc unum edico: Gallis omnibus certò aut hic occumbendum, aut vincendum. Quæ verba adeò valida & continenti voce efferebat; vt à multis, qui propiore ad hostem munimento excubabant, plena hæc æstuantis animi oratio exaudiretur. Sed paucis ob terrorem mortis ad pugnam: plurimis ad effugium animus erat. Atque hæc vbi ad Richehium peruenère; ex alta quadam spe deturbatus, Ambianum paulò post cum Rege venit; sciscitandi ex propinquo gratiâ, quid vrbe culæ victoriam tandiù, totq; armatis remoraretur. Cæterùm, vt extrema etiam tentarentur, nouorum militum supplementa ad castra destinat, duce Geburæo. Quibus auctus Mylleræus iniectam hucusque votis remoram, maioribus viribus pensare cogitabat. Verùm timidos nactus vbique milites, multo vini adusti potu capi accendiq; oportuit: quò propè lymphati, ad inuadèda vrbis munimenta profilirent. Fecère periculum non minori audaciæ, quàm calliditatis facinore. Nam dato signo ita derepente concurrère, vt tribus nationibus hïc attributas (vti suprâ diximus)

21. Iunij.

Primus assultus ad munimenta.

ximus) stationes, vno conatu velle irrumpe-  
 re viderentur. Quamquam præcipuus in Ita-  
 los, vt consilium, ita impetus erat. Ergò vbi  
 quàquà versùs sclopetis, simul hastilibus a-  
 criter fortiterque aliquamdiu dimicatum est:  
 inclementiore tandem igne, dolium nitrati  
 pulueris ( quod in altero munimentorum e-  
 rat) corripiente: eò statim Gallorum impetus  
 conuersus est; audaciùs illùc se ferentium,  
 quod pulueris, & pugnantium vim, ex parte  
 attritam opinarentur. Quod sanè non secùs  
 ac reputauerant, accidit: quippè quatuor su-  
 prà triginta ( quæ pars eorum maxima erat,  
 qui locum tuebantur ) igne correptis militi-  
 bus hosti cedendum fuit. Neque verò hosti  
 diu munimento potiri licuit: nam nostri col-  
 lectis statim animis viribusque illum inde re-  
 pulêre; accedente in pugne locum Caronde-  
 letio, & Iacobo Nonnesio ( siquidem vt pro-  
 piores, ità etiam expeditiores casus esse vrge-  
 bat ) multisque alijs, quos è suis stationibus  
 Gubernator, ac Delli-Pontius properè acci-  
 uerant. Tantusque fuit ardor, & pugnandi  
 ferocia, vt Gallis eò loci 200. deletis, par om-  
 nibus ex ea pugna virtutis commendatio glo-  
 riaque;

*Repellitur  
 cediturque  
 hostis.*



riaque accesserit. Stabant interea ciues pro  
 mœnibus; crebrisque explosionibus hostem,  
 vbi copia erat, incessabant; propius quoque  
 opem laturo; si ad recipiendum locum vi ma-  
 iore opus fuisset. Memorat certè huius pugne  
 commentarius, quem ex hoste interceptum  
 legi, stragem haud exiguam, maioremque o-  
 pinione extitisse. Eadem nocte Ioannes de  
 Volto Italus signifer in urbem redux, cum à  
 Serenissimo Principe Ferdinãdo apparari co-  
 pias, ad liberandam urbem memoraret; i-  
 demque non sine quadam victoriæ spe mirè  
 lætus; obsessis animos, fiduciamque ita accē-  
 dit, vt hostem aggrediendi cædendi que libi-  
 dine, æquè ac impatientiã agitarentur. Po-  
 stridiè verò qui Iunij vigesimus secūdus erat,  
 plusculum temporis cęsorum sepulturæ, idq;  
 rogantibus Gallis, indultum est. Porro cum  
 nostri eam in hoste experti ferociam; eam-  
 demque redintegratum iri haud dubiè suspi-  
 carentur; firmandis stationibus, quã viris,  
 quã vigilibus incubuere. Nec eos opinio fe-  
 fellit. Nam sub eiusdem diei noctem, proie-  
 ctã ab hoste in nostros ollã maiori incendia-  
 riã (quam à strepitu bombum vocant) ceu

*Suppetiarũ  
 ad urbem  
 nuntius.*

*22. Iunij.*

E

pugnæ

pugne indicio; iterum semipoti, ut supra, confusisque clamoribus lymphatorum in morem, Italorum munimenta adorti sunt. Atroxque in hoc secundo ardore certamen fuit. Quippe Itali, Gallorum impetus, ut primo feroces esse haud nescij, ita vehementius contra niti, eoque animosius, quod precedenti nocte victis, fugatisque oblitterant. Igitur Galli variatis tertio ad assultum legionibus, dum in munimentum minus ad laevam, ( cui ab Architecto nomen Bontemps ) pertinaci iuxta proelio ac victoriae fiducia contendunt: Carolo Campo; Ruffinio; Tassauvio; ac Philippo Strozio, nunquam acrius, ac maiori animo concertantibus; vis hostium propè omnis infracta. Ceterum parte adhuc in munimentum reluctante: altera retrogressa ad proximae loricae cuspidem, aggeremque moliente; certamen priori maius, diuturniusque recruduit. Enimvero praeter missiles ignes, minoresque bombos ( quas vulgò granadas appellant ) ad circiter mille; ita hastilibus, conseratisque utrimque gladijs, ad tres horas fortiter dimicauere, ut noctis tenebras, tanti certaminis gloriam spectantibus eripuisse, iure quis accu-

*Iterato hostis  
repellitur.*

*Aeris pugna.*

accuset. Quamquam nox cadētibus, fugientibusq; Gallis opportunior, quorum cladem non nisi sequens dies ostendit. Nam præter cælorum cadauera, quæ ipsi extulerant; 35. amplius à nostris partim asportata, partim quæ longiùs à munimentis aberant, primo diei crepusculo, vncis ferreis attracta. Eoque in assultu memorant Nauarricam legionem maxima ex parte deletam. Certè de numero occisorum, seu gregariorum; seu melioris notæ, vel ex hoc liquet, quod 200. cuiusvis generis arma in urbem relata; atq; inter hæc enses octo, manubrijs argento cælato affabrè factis; qui Gubernatori, ac Delli-Pontio, cæterisque, (quos supra memoravi) centurionibus, à milite oblatis, in donum celsère. Addunt in conflictu præter quatuor officiales; quatuor etiam centuriones, Valerium equitem, Riuollium, Dominum ab alta domo, Labycinerium interfectos. Eoque hæc strages, vt hosti acerbior: ita fortunatior obsessis adiudicata est: quòd supra saucios (inter quos Tassauuius bombi minoris fragmento) non ampliùs quatuordecim (occumbente simul Dominico Queqhinio, cui bis teruè ad

Le Cheualier Valere. De la Riuole. D'Haute-maison. Labycinerie.

Queqhinio.

acciendas suppetias vrbi egresso, mors gloriosa, quam pro communi salute expetiuerat, fraudi non fuit ) cecidisse referantur.

22. Iunij.  
Suppetiarū  
Hispanica-  
rum accessus.

Vsq̄ue adhuc̄ secunda omnia, dum adnūtat vicina Ariæ Flandria; vnde profecturas suppetias, anceps nemini coniectura erat. Et verò sub vesperam collucere latè ignibus cāpi, eius rei auspiciibus; sensimq̄ue ad medium fermè vr̄bis ambitum ( vt in castris fieri assollet ) prolatis, crescentibusq̄ue. His intenti ciues, *suppetias, suppetias* inclamāt. Ad quarum etiā conspectum animi hostium labare, haud ignari, loci discrimine periculosiùs, quàm quis facilè crederet, se teneri. Postridie igitur qui vigesimus tertius mensis erat, frequēs armatorum globus; equites, legiones, arma, signa, apparatus; offusi denique hostibus hostes, dimidio ab vr̄be milliari ad Rinckam pagum, emicuère. Ad hoc è mœnibus; & quā fas erat, rei exitum spectante multitudine; Gallus machinas agere; villarū, & arborum impedimenta rescindere; itinera occupare; aditus præpedire; ne tot millia hostili ferro mactanda obijcerētur. Atque inter hæc

23. Iunij.

Rinck.

Coaquin.

Coaquinus Marchio cum paucis aliquot militibus,

litibus, dum propiùs ad Iumellæ agrum irumpit; ab Hispanorum insidijs (quæ isthîc latebant) appetitus, occubuisse ferebatur. Intereà Beckius militiæ Præfectus, qui velut Beck. ex arce intentis oculis, omnia contemplabatur; quò non modò periculum, sed & metum à ciuibus arceret, iussit speculatorem, è turre Rinckana, hostium castra despicerè. Cumq; ex eo & ad pugnam expeditos, & nostris superiores numero comperisset: nec ijs premi angustijs urbem, vt morâ adire periculum posset; Germanorum auxilia opperiri (vt securè potiùs, quàm maturè hostis ad victoriã inuaderetur) decretum est. Interim dum ciuitas, inter spem, metumq; dubiâ expectatione penderet; missus è vestigio à Serenissimo Principe Cardinali nuntius, Germanorum supplementa propediem affutura nuntiauit. Incredibile dictu est, quantum hoc nuntio animi omnium erecti, confirmatiq; vt excusso omni metu victoriam præcipere viderentur. At hostis vt vidit Hispanos moras agere; ex eo securitatis suæ auguria quædam arripuit: quasi verò in bello pugne celeritas, victoriæ securitate potior habenda sit;

nec prudentiæ cenſeatur, malle non incertâ ſpe cunctando, victoriam præſtolari; quàm certo periculo feſtinâdo maturare pugnam: præfertim cum multis fuerit exitio, citò pugnaſſe. Gallus inter hæc necdum metu omni liber, hoſtem è diuerſo obſeruabat; neu quis deinceps locus caſtris ſuis circumiacês, Hiſpano ſuffragaretur: Rinckanam turrim, quæ Beckio pro ſpecula fuerat, deſtrui iuſſit. Poſt hæc reducto ad ſua ſtatiua exercitu, atrociùs quàm antea machinis, aſſultibuſq; in urbem ſæuire cœpit. Tantaq; erat ſtudiorum, animorumq; contentio, vt ſiue urbem defendentium; ſiue oppugnantium; ſiue obſeſſis auxilia ferentium, par pro gloria, victoriâq; certamen haberetur. Et verò Ferdinandus Princeps inter aduerſas, dubiaſq; fortunas ſemper erectus, ſæpe dicere auditus eſt: *citiùs ſibi animum à corpore, quàm à Philippo fratre urbem Ariam auulſum iri.* Nouerat enim prudētiffimus Princeps, vnus urbis cladem, non minori quàm totius Fládriæ exitio ceſſuram. Quare continenter, vel aciem operibus; vel animum conſilijs intendebat, dum Germanicas copias, augendo exercitui breui adfuturas

*Ferdinandi  
Principis pro  
urbe cura.*

turas præstolabatur. Per id tempus è Lohof-  
 tinenſi Monialium D. Bernardi, ad Fládræ  
 limites, cœnobio, tres litteras dedit: Guber-  
 natori vnas; Delli-Pontio, & Catricio alte-  
 ras; tertias Senatui; quibus ſic eorundem ac-  
 cendebat animos, vt quorum fidem maiori  
 hæc tènùs didicerat documento; eâdem & a-  
 nimi constantiâ, quidquid deinceps fors fer-  
 ret; generosè exſequerentur: nullum à ſe pro-  
 teſtatus ſtudium, induſtriamque prætermiſ-  
 ſum iri, quò ciuitas quantociùs liberaretur.  
 Atque hæc fuère faces, ac ſtimuli, qui pleroſ-  
 que ciues ſpe ſuppeticarum perlectos impulê-  
 re, vti diu noctuque mœnibus inſiſterent; ac  
 militibus, qui in dies à conflictu vulneraban-  
 tur, maiore, quàm aliàs clementiâ provide-  
 rent. Enimuerò cùm præter publicum D. Io-  
 annis Baptiſtę nolocomium, maiora alia do-  
 micilia curandis ſaucijs conſeſſa eſſent; illuc  
 ciuium, qui pharmaca; qui linteam ſupellec-  
 tilem; qui deniq; alimenta conferrent, quo-  
 tidianus confluxus erat: vtique diuitiarum  
 haudquaquam auari, ſpe victoriam ſuſtine-  
 bant: quibus hæc eadem quàm fortunæ ipſæ  
 potior habebatur.

Lohofline.  
 28. Iunij.

Ciuium erga  
 ſaucios Pie-  
 tas.

Dum.

Dum igitur ciuitas ità se habet; acies Gallica suppetiarum copijs excreuerat; nec sic quidem audacior. Quippe non modò milites, qui vrbem tuebantur, sed & locus ipse, quem fuso sanguine Gallus consperferat, formidini erat. Eàpropter Mylleræo ( vt aiunt ) anxio, vbi arma non succedunt, rem ligonibus adoriri placuit; quò sc̄ilicet per cuniculos, extraque periculum amittendi militis, ad aggerum fossas niteretur. Nostri è contrà eàdem viâ subterraneâ grassari, & accedentium conatus euersis molibus obruere. Nec mora: quia deinceps vi, fraudeque subterraneâ futura contentio videbatur; emissus statim ad Hispanorum castra Horatius Rogenius, Philippi Strozziij, id tēporis vexilliter, hodie centurio; qui accersitis inde ad euertēdos, fallendosq; hostium cuniculos certis operis, miro ciuium gaudio, desiderioq; paulò post in vrbem receptus est. Hęc inter hostem ferunt mille & ampliùs, tam vulnere saucios, quàm morbis correptos vehiculis, Hædiniũ auexisse. Nec verò dubium est plures, quos curatis vulneribus, bello opportuniore iudicabant, in nosocomio ad D. Andreæ cœnobium

Rogenic.



nobium retineri. Et certè quot quotidie ex hostibus occumberent; ipsorum quoque testimonio comprobatum est: quippè qui stragem potius, quàm obsidionem appellarent: quàmquàm; non nisi auri, honorisquè titulo mercarentur. Præ cæteris lectissimi quique milites; qui diuturno militiæ vsu probati, vel quos sua virtus ad Præfecturæ gradum eue-xerat, designabantur: qui nihilo seciùs quantillum sua illa in obsessos virtus valeret, cède incredibili didicerunt.

Cæterùm Gallus, quamquàm intra spem, metumquè; ne quidquàm tamen obsessos lacessere visus est. Quippè Iullij septimâ, mi-  
 nori munimento, quod à leua vicinum maius 7. Iullij.  
 (cui S. Isbergæ; vulgò Monthulinij nomen) vim inferre aggressus; eòquè ferociùs, quò sibi aditum ad Monthulinij stationem patere posse, arbitraretur. Sed parùm prosperè: primò enim Hispanus hostibus terror fuit, ipso audaciæ, pugnæquè genere commotis: quin & Ruffinus cum Ioanne Crispo hanc partem, quà Gallici exercitus vis irruerat, subingressus: dum numerum, pugnamquè augent, ingenti editâ strage, hostis retròcedere coactus

est : statimq; incredibili audaciâ, ac promptitudine nostris ad ima fossarũ delapsis, pons sarmentitius, quem Gallus iniecerat, diffractus, eductusq;e. Sed & hoc Gallorum vires magis, quàm animos fregit : postero enim die vbi per exploratorem hostilem, qui iuxta urbem interceptus fuerat, compertum est; Gallorum videlicet consilium esse, ad idem loci, vt prius, recurrere : maturè cautum à Præfectis, nè quid ad sustinendum, propulsandumq;e hostem deesset. Quocircà missus eò Tassauius, parem victi, repulsiq;e iterum hostis, cum Hispano milite gloriam reportauit. Vbi porrò hæc in cassum recidit, ad munimenti maioris Monthulinij loricam, vbi ab octiduo sedem fixerant; continuisq;e ignium missilium, ac fistularum telis ab urbe laceffebantur, impetum vertere. Sed neque hîc, neque ad Monthulinij postea dextrum latus, iniecto frustra rursus sarmentitio ponte, oppressis insuper operis, quæ ad cuniculos agendas descenderant, quidquam effecere: nisi ter repulsi, fugatos, obrutos, ac plurimos fauciorum, cæcorumq;e curribus elatos, quispiam facinori attribuerit.

*Hostium redulsio.*

Monthulin.

Mylle-

Mylleræus fractis eum in modum rebus, adhuc tamen infracto animo, spem inter & metum pendebat animi dubius, quo pacto inter tot oblectâta mala, reluctari sibi prop-  
 tior, proniorque foret occasio. Quamobrem equitum turmas, peditum cohortibus præstò esse imperat: iamque conspirantibus animis, viribusque pons denuò sternitur: nec mora: utrimque atroci virtute certamen redintegrat-  
 tur. Hoc in æstu pugnantium, ubi clamor, eversaque molis per cuniculos fragor ingens perstrepuit: subito hostes aperta latè viâ irruunt, ac munimenti frõtem occupant. No-  
 stri interim tametsi sine vallo, obstinatâ ta-  
 men animi constantiâ, ipsoque periculo ma-  
 iores contrâ obsistere, ac densè irruentes re-  
 pulsare, flammisque vrgere; nec hostes intrâ  
 disruptam cuniculis molem admittere, aut  
 pati. Cùm enim alijs in locis fortiter; tùm vel  
 hîc maximè Sylverius Quinionesius, reli-  
 quisque Hispanus, simul cum Italis Celenta-  
 nus: quò etiam D'Anthinius; Carondeletius;  
 Lyeresius; cæteri que Wallones vicissim acce-  
 dentes; ac suis cum Hibernis Cauainius glo-  
 riam æmulabantur. Nec multò dispar in ho-  
 ste,

*Monthuliniæ  
 munimentum  
 inuaditur.*

IO. Iulij

*Varia pugna  
alea.*

ste, virtutis postea, ac pugnae genus: quippe quem in fugam obstitentium vis, ac fortitudo toties coegerat, furor, pudorq; in pugna reuocabat. Nimirum expers consilij animus dolorem pro virtute habebat; quantumque meditatur ira; tantum audacia sibi praecipat. Etenim ponte rursus iniecto; eoque; flammis vicissim euerso, ac deusto; hostes noua statim fascium congesta strue; tumultuario opere alium moliuntur: sed & iste interiectis (vt supra) ignibus, flammam cessit: & vario vtrimque telorum, ac sarissarum conflictu horrendum, tristeque spectaculum edidit: plurimis Gallorum inter flammam ipsas pugnantibus, occumbentibusque.

*Pontes hostium  
destruuntur.*

*Pl. Iulij.*

Inter haec vexillifer est legione Grobendocij emeritus, cum altero est Lamboij copijs milite, suppetias est Germania (caeso, fugatoque; ad Sedanum Castellionis exercitu) vrgere acriter, ac propius iter nuntiavit: ne rem vt dubiam vrbis afferret, Beckij litteris fidem confirmavit. Quam utique ob causam militum, ciuiumque multitudo, nocte concubiam, plausum imitaurare iussa; conuersis in Gallos fistularum globis stragem quoque edidit. Siquidem

dem improviso, tumultuarioque fragore correptis vndequaque hostibus, iisdem haud dubiè infestior, quàm ab vrbe resciri posset procella; sed Marchioni Coëstlinio maximè fatalis fuit: quippè qui traiecto glandis iectu cerebro; adhibitâ nequidquàm Chirurgi terebrâ, post paulò occubuit: tantusque exercitum de eius morte mœror inuasit, vt Richelij pronepotem, Regique carum in paucis (cuius vitam vrbs victoriæ æquiparabant) nemo non agnouerit. Inter saucios, Euricemontium, quoque ac Seneterrium fama vulgavit.

*Coëstlinus inter plausum civium glâde traicitur.*

Hostis igitur partim attritis copijs; partim victoriæ ambiguitate iam præter modum anxius; capto consilio acrius, quàm antea effossis ad munimenta meatibus, moliri, vrgereque accessum decrevit. Quocircà milites ad Præfectorum imperia prompti, selectique è varijs legionibus, humum tanto nisu versare aggressi: vt maior ad metum, spectaculumque edendum, quàm ad victoriam apparatus videretur. Et hoc quoque obsessis incitamentum, ad incessendum hostibus fuit: qui confestim gladijs, contis, flammis, saxisque armati; ita angustijs loci conclusos excepere;

*13. Iulij.*

vt cùm pars ferro deleta, pars metu fugata  
esset, vinearum hiatus reducto solo oppleue-  
rint.

*Pecora hosti  
subripiun-  
tur.*

Veuglaire.

Interea temporis dum hinc acriter, cruen-  
tèque sequitur; ex altera parte blandius, utique  
cum ouibus, pacatis animantibus pugnatum  
est. Nam eè cùm ad D. Quintini agrum, ho-  
stiumque aggeres pascua captarent, Francis-  
co Veuglairo Billij Baronis signifero, au-  
dendi occasio fuit. Is enim adiunctâ sibi mi-  
litum, ciuiumque manu, cùm vsque ad Se-  
neterrij stationem occultis vijs percurrisset:  
premissio interim pastorio duce, qui sibilis a-  
nimantia alliceret, citatis derepentè equis,  
totum gregem (qui 546. numerum exple-  
bat) inuoluit: nequidquam accurètibus Gal-  
lis, aduersùm quos conuersis equis, armisque  
aliquamdiu dimicatum est. Captiuorum a-  
nimantium eò is numerus obsessis gratior,  
quòd quasi ad institutum res flueret, vt qui  
ab hoste læsi, ab eodem quoque in ciborum,  
ac præsertim veruecinæ penuria, alerentur.

Porro seu fatigatis hostium animis; seu  
meditando ad noua facinora assurgentibus,  
aliquamdiu cessatum est; solis machinis inte-

rim

rim urbem ex solito quatientibus: aiuntque Mylleræum per id tempus ex valetudine laborasse; deque soluenda obsidione non semel consultasse. Cæterum, uti cinere occultus ignis sæpe emicat; ita Gallorum ardor, virtusque de nouo se prodit; & Monthulinium munimentum, iteratis vicibus, animisque aggressus est. Igitur tertiâ decimâ Iulij occurrunt nouâ irruptione audaciores: excussi tamen, & illi ferro; iterumque flammis pontes corrupti: quod & sequenti luce, alterâque maiori oppugnantium clade, exitioque præstitum est. Atque hæc vltima Monthulinij alea fuit, quam milites nostri fortiter sustinuere, certi, vel obtinendæ victoriæ; vel amittendæ vitæ. Verum cum munimenti moles maximâ ex parte euerfa hostibus pateret; parsque nostri militis cæsa, reliquus quamuis perdifficili viâ in urbem se recepit. Præter cæteros, qui ab hostibus septi de reditu in urbem desperabant, Franciscus Salpruicius, Estræi Comitæ Optio, & Iacobus Wallæus eiusdem Accensius diu hastis oblectati; donec præter expectationem, inter cõsertos hostium cuneos, viam sibi facientes ad suos rediere. Atque ita opus,

13. Iulij.  
Pugna ad  
Monthulinium  
acrior.

Wallæ.

15. Iulij.

quod:

quod magno labore cōstiterat, magno etiam  
 vrbis damno amissum est. Cùmq; in hoc ver-  
 teretur vrbis victoria; reperi in eo libello (quē  
 suprā ex hoste interceptum memoravi) Mar-  
 chionem Geburæum illicò ad Regem prope-  
 rasse, cum mille equitum manu: pronumque  
 est existimare, ab eo relatum Regi, captum  
 tandem Monthulinium munimentum; si-  
 mulque spem potiundæ vrbis, in proximo  
 esse: eundemq; Marchionem in reditu, no-  
 strorum insidias non sine damno incurrisse.  
 Itaque hostes munimētum medio aggere di-  
 uidunt, vnde vrbis fossas securiùs accederēt:  
 densas inde arbores, intortis ramis, stipitesq;  
 sepium ad instar congerunt; quos vtrimque  
 dolijs, corbibusq; terrā oppletis, perpetuo ve-  
 lut muro obfirmauêre. Interim ciuitas, quā-  
 quàm fortissimi loci præsidio destituta, ne-  
 quedum aut spe, aut animo deficiebat. Siqui-  
 dem è mœnibus tanta missilium, telorumque  
 omnis generis vis ( quæ ad hunc vsum fabre-  
 facta erant) excussa, vt plurimi hostium ipsis  
 in operibus fœdè, cruentèque interirent. Ad  
 hæc intra pomœrium aggeres effossi, & iter  
 vndequaque opulis, ac stipitibus ( si mœnia  
 forte



fortè cessissent) conclusum erat. Cæterùm cum hostis vicina quæque munimenta occuparet; iamque ad vr̄bis fossas peruenisset; subito missiles pontes, quos iuncis, arundini-  
 bulque, ac simili materiâ contextos in pr̄p-  
 tu habebat, aquis insternere, muros accedere, cuniculis agere. Neque aliud remedium obseſſis, quàm accedentes immiſſis molibus, flammisque, ne ad insurgendum conuerti possent, fortiter propulsare. Dum vtriusque partis feruet, crescitque animus, eò maior, quod res quasi aleam intrà, aut pugnam esset; Iacobus Bulo eques, veluti de instituto, hos-  
 tiũ custodiã elapsus, haud faciliè dictu, quàm omnium simul militum, ac ciuium animos confirmarit; quibus referebat captum à Myleræo exploratorem, nũtiasse auxiliares Germanorum copias maturare. His erecti denuò obseſſi nil desperare; certatim mœnia armati obire, ambire pericula; expetere labores; nihil non agere, vt fideles Regi subditos, quod vsque adhuc fecerant, diu se haberent. Quin etiã cum maiori numero, quàm necessarium esset, multitudo ciuium conflueret, eorum pars mœnibus arceri debuit: quod profectò

*Hostis vr̄bis  
fossas ponti-  
bus occupat.*

*17. Iulij.*

G

(quia

( quia defendendæ vr̄bis ingens ardor ) difficulter passi: incertumque maiorinè indignatione, an militum stupore: qui in ciuibus tantam fortitudinem pro muris, ac fidelitatē in Regem, nusquam se vidisse memorabant.

*Cuniculi ad  
muros aper-  
tio.*

Dùm hæc ita se habent, statim opinione citius cuniculorum angustijs suppositus ignis molem euertit: fragoreque; horrifico pars muri reuulsa in adiacentem fossam prolabitur, aditumque in urbem aperit. Tùm demùm ortus in mœnibus militum clamor sese adhortantium, & promptè ad ruinam; quâ quisque statione erat, accurrentium. Accurrere & ciues resumptis confestim armis: (nam animos defendendæ vr̄bis nondum abiecerant) parati etiam locum amisâ animâ, corpore tegere, quem pro fide in Regem, ac salute publica tuebantur. Neque in fœminis, puerisque hic ardor elanguerat: quippè illæ ad omnem pugnae strepitum impavidæ maritis occurrere, arma porrigere, hortari, sauciorum curam habere: hi quoque primâ adhuc licet infantiâ, instrumenta belli in cultellis, atque officulis ponere, minitari; glandes plumbeas parare: hostem deniquè quem ratio nondùm

*Fœminarum  
ac puerorum  
Ariensium  
virtus.*

*simp)*

*fugge.*

suggerebat, naturam antecapere. Quod quidem captam iam urbem hostis quoque miratus est. Ergo ubi ciues, militesque in armis confitere, irruentibus hostibus pro se quisque obniti, aut mortem inferre: adeoque caesis ex hoste plurimis, qui primi impetus robur erant, reliqui in fugam versi, non ordines seruare; non imperia exsequi; omne praesidium in pedibus habere; utique vitam victoriae praehabentes. Inter tot datas, acceptasque strages, intercessit res quidem parua dictu; sed euentu prodigio propior. Nam cum subterraneae fornacis impetu auulsa moles, in illud latus, quod urbi obuersum est, recidisset: ad ruinam accessit Delli-Pontius: dumque obtutum circumfert, offertur oculis nescio quid vesti persimile, quod ex terrae hiatus aliquantulum exstabat: homo demum uiuus eruitur, cuius, terraeque simul onere alij oppressi duo exspirant. Hic mox rei nouitate stupefactus, ac reus beneficij Patri Feliciano Rupaeo Capucinorum (ut uocant) Guardiano, se exhibuit, agendisque Numini gratijs adiutorem fidum adoptauit. Feruntque Delli-Pontium identidem haec ver-

*Irritus hostium  
assultus.  
20. Iulij*

*Prodigio  
quid simile.*

*De la Roche.*

21. Iulij.

Ciuum ar-  
dor ad assul-  
tum.Hannotte.  
Damant.  
Du Riez.  
Cardon.  
Beccquetur.

22. Iulij.

ba vsurpasse. *Deus pro nobis*. Interim ad murorum appendices gemino rursus facto hiatu, atrocior quàm antea pugna, impetusque defœuijt: neque facillè dixerim quantâ hinc irrupentium pro victoria; inde obtinentium pro salute pertinaciâ: vndique qui miles, qui ciuis, nec tempori, nec virtuti, nec sibi deesse equum arbitratus. Atque inter eos, autoritate publicâ ciuium centuriones creati, Ioannes Hannotius; Iacobus & Laurentius Damantij fratres; Ioannes Durieus; Franciscus Cardonius; Alexander Pequrius; qui prius dato coniugibus, ac pueris osculo, ad vrbs defensionem properauere, perindè speciosam mortem, si contigeret, ac pugnam initari. Atqui hic erat maiorum ardor; nec iuniorum dispar gressu, animoque processit æmulatio: quippè qui, vt fortiter ad Monthulinij stationem, ita nec ad mœnia segniùs Francisco Garbeo, & Arnoldo Labbenfuducibus propulsando hosti concurrere. Iunctis itaque viribus, paratisque ad pugnam animis, Gubernator faces, stimulosque addebat; sic hortatus: *Haud ignoratis, milites, multitudini resisti à paucioribus posse; sepiusque hostem,*

hostem, pugnantium animo magis, quàm numero  
vinci: oro igitur, quæsoque ut omisso metu, tan-  
tæ gloriæ discrimen strenuè, totisque viribus ad-  
eat. Iamque circumfusi undique hostes, &  
quasi coherentes mœnia impetere; cunicu-  
lorum utcumque reparatas ruinas ( in quo  
Stephani Flori publici operum Censoris de-  
sudavit industria ) inuadere: hinc pugnam  
strenuè, impigrèque conferere. Nostri illo  
rursus prælio fortiores, fuso, cæso, profligatoque hoste, quò ille periculo audacior;  
eò gloriosiore victoriam reportauere.

Hæc dum geruntur, adeoque ciuitas iam  
in extremo esset; non defuere seu firmandis  
adhuc, seu leniendis animis diuinitus osten-  
ta quædam. Nam cum Hispani sub mœni-  
bus terram effodiunt, ipsis quasi in operum  
penetralibus, Diui Iacobi imaginem albo la-  
pide affabrè, eleganterque efformatam re-  
periunt. Hęcque inter Pater Franciscus Cou-  
roublius Societatis Iesu, vbi adstantibus His-  
panis, olim Ramiri Regis triumphos Diui  
Iacobi ope relatos commemorat; subito ad  
aliud prodigium spectandum accitur: nam  
vt à terra; ita à Cælo Hispanicæ, atque Au-

Flour Cõ-  
troleur.

Hostis repel-  
litur.


Prodigia nõ-  
nulla.

Imago Diui  
Iacobi.

*Cruce Bur-*  
*gundica celo*  
*apparens.*

striacę pietati prodigium debebatur. Enim-  
uero Crux Andreana, sub horam noctis de-  
cimam, Cælo conspicua emicuit. Erat tum  
Lunę integer orbis; Cælum stellis illustre,  
quasi Burgundicam Crucem, quę lucis in-  
solentiâ præmicabat, salutare, ei que gratu-  
lari videbatur. Crux Burgundicam ( vt di-  
xi ) apprimè expressit : ( suntque qui initio  
quadratam se exhibuisse; at itatim in Bur-  
gundicam desisse contendant ) illius splen-  
dor, vt iucundus oculis ( argenteum dixis-  
ses ) sibi æqualis, ac constans ad horam pro-  
pemodum durauit. Altitudo, longitudoque  
centum facillè pedes æquabat : adeò vt à vi-  
cinioribus Flandrię Oppidis, spectaculi, ac  
prodigij fidem, visu quoque usurpatam af-  
firmant. Atque hæc vbi primùm procubito-  
ri illuxisset, crucemque conclamasset, subitò  
concurrere ad spectaculum quotquot in  
vicinis munimentis aderant; multorumque  
hæc vox fuit : *in hoc signo vincemus* : vtique  
victoriam ( quam olim Constantinus à cruce  
reportarat ) ipso Patre Couroublio præ-  
eunte, augurantium.

De huius



De huius porrò portenti forma, figura, colore, mutatione prolixè, eleganterque Iulij Chiffletij Commentarius; quem Crucem Andream appellat. Sed hæc, atque alia eiusmodi tutelæ diuinitus acceptæ præsidia, secundâ historiæ parte, vt opportuniore loco tractabimus. Interim dum hisce prodigijs erecti omnium animi starent; stabat & tantisper adhuc ciuitas inter cadentia mœnia, propugnantium certè valore, quâ propugnaculorum mole firmior. Quippè hostium oculos, animosque feriebat, ingens, quem specta-

*Hostis ultima  
attentatio.*

spectabant in muris, & militum, & telorum apparatus, suorum recenti adhuc exitio formidandus. Hinc Gallus tridui spatium consilij occupatus, armis aliquantò remissior, postmodum assultum de nouo, quasi tentandi causa obsessos, adornauit. Et verò propugnaculum dextro portæ lateri adiacens, tanto ductum hiatu ferebatur, vt multorum opinione, non excidij modò periculum, sed excidium ipsum ciuitati (si eius eruptio sustineretur) portenderet. Ad hoc quadruplici instrato ponte, trepidatio apud nonnullos augebatur: quamquam & hic metus intra fortitudinem erat. Nam simul ac datum, acceptumq; signum, steterè in armis permixti militibus ciues, animo, vultuq; imperterriti: quorum mutus conspectus & par virtuti constantia, vt terrorem hosti; ità ipsismet animos addebant. Vtq; constaret vltima quæque passuros, antequam de deditioe paciscerentur; geminam (vt dixi) non solummodò intra moenia vallum duxerant; sed etiam, vt interiora urbem tuendi, eòque sese recipiendi copia foret; viarum aditus diuerso opere, passim terrâ ac stipitibus obstruxerant. Mylle-



ræus igitur cataphractorum peditum primò Plurimi assul-  
tus dispositio. feriem; tùm & reliqui exercitus cuneos, mi-  
 nacibus armis ad congressum adornauit; vt  
 saltem hâc formidolosâ belli imagine metû  
 cieret. Sed hæc in cassum recidêre. Nam ob-  
 fessi, vbi hostem trahere moras vident; subito  
 tantam telorum, atque ignium vim demisêre  
 in pontes, qui ad ima fossarum instrati erant; Pôres deusti.  
 vt eosdem ardentibus flammis, longè latèq;  
 operuerint: etiam in oppositas Gallorum mu-  
 nitiones sequeunte flammâ & quasi pro obsessis  
 militem se gerente. Cõstat plurimos hostium  
 igne corruptos; plerosq; à fossis ac munimen-  
 tis longiùs recessisse; maximè quando balistis  
 emissæ corbes, ingentibus saxis opplete, hor-  
 rendam grandinem in circumiacentes effu-  
 dêre. Interea pontes, vt dixi, quibus multa  
 fascium materia aggesta erat, incendium ale-  
 bant: adeoque ad mœnia flamma ingens, vi-  
 suque horribilis tunc exarsit; vt quorumuis  
 oculo, postremi, fatalisque diei species quæ-  
 dam obijceretur. Tanti nimirum erat in vna  
 etiam vrbe, totius Flandriæ cladem, excidi-  
 umque adumbrare! At quò tandem procella  
 hæc euadet? iam status vrbis dubius, sensim-

Hostium cō-  
minatio.

26. Iulij.

Acquebert

que ad vltima deducebatur; quin etiam plus  
nimiò tardiùs hostium voto, apud quos vti-  
què moræ impatientes, variæ sententiæ pro  
cuiusque ingenio ferebantur. Aiuntque Gassio-  
onium aliquantò ferociùs dixisse: *obsessos teme-  
ricate peccare, dum fortes vltra, quàm par est, ha-  
beri volunt: euerfis munimentis, quassâ urbe, mœ-  
nibus occupatis; nil reliquum, nisi ut in obstinatos  
flamma, ferroq<sup>3</sup> sauiatur.* Accessit huc Mylleræi  
sententia lenior; tentandum nempe Gubern-  
atoris animum, ac sciscitandum, quid nunc  
demùm ipse reputet? an cum pertinaciâ pe-  
riculosè urbem tueri malit, quàm honorificè,  
ac tempori eam dedere? vti reliquis hoc pro-  
batum; ità quoque properè effectum est. Igi-  
tur octauo calendas Augusti, qui dies D. Ia-  
cobo Apostolo solemnis erat, Gassionius &  
Acquebertius Gubernatorem, præmisso, de  
more, buccinatore, cum Patre Cyrillo ( cu-  
ius suprâ memini ) ad colloquium accersunt.  
At Gubernator eorum sensum odoratus, non  
tàm admittere, quàm celeriùs, acriùsque re-  
mittere; *Cyrillum imprimis hortatus, breuiarij po-  
tius quàm belli meminisset.* Certè fractis, despe-  
ratisque rebus, iam funeri, cladiq<sup>3</sup>, prope af-  
futuros

futuros obsessos, subsistere etiam ausos hosti inauditum videbatur; nec vllum propè agnoscere erat, qui mœnibus ipsis pugnando immori potius, quàm lecto intra penates defungi non præoptaret. Ad hæc tamen vitam seruare, omniumq; intererat, quando urbem diutiùs non possent. Et verò rei huius discrimen inter belli peritos, vltro citroque agitabatur, vt quæ secutura erat urbis deditio, nullius ignauia næuum, labemque admitteret. Nam primùm vltima nunc remedia, quæ ad salutem urbis spectarent, se amplexos. Periculum esse ne urbs ipsa præde, ac stragi foret; si cuniculorum triplici rptione, apertis passim, latèq; mœnibus, (quod fidem, moremque excedit) imminutisque cæde obsessorum viribus, impetus hostium adhuc sustineretur. Eòque maximè, quod noui iterùm, ac maioris (vt memorauimus) cuniculi operæ incumbèrent. Ad hæc angustioribus terminis arctari mœnia, quàm vt à tergo recessui expedita, (vbi arma, viresque reparètur) spatia essent. Præterea hostem iam à quinque noctibus mœnium ruinas, ipsaque propugnacula occupare, atque iisdem insidere. Postremò quoniam

ad Bosinguemium, vicinum Ariæ pagum, Hispanorum exercitus adhuc hærebat; ipem eum facere recuperandi mox fœliciùs Oppidi, quàm quod ab obsessis vltra defendi posset: quibus vtiquè, tametsi promptus, atque ingens animus; par tamen illis robur, atque opportunitas deesset. Quapropter eò cõcurrentibus animis, sententijsque vigesimâ sextâ Iullij (quâ etiam die anno 1482. Gallis dedita olim fuerat) Ariensis ciuitas rursus in eorundem potestatem concessit. De pactioibus mox dicemus.

*Vrbis de litio.  
26. Iullij.*

*Furoris bellici, ac cadium ad Ariam cõpendiosa descriptio.*

Nunc quanti hæc ciuitas Gallis constiterit, perpaucis edisserere opportunum existimo. Atqui imprimis illud constat, tot minoribus fistulis, continuo propemodum strepitu, emissas glandes; vt ad humana corpora adactæ, ducentorum, atque ampliùs millium exercitum deleuisse potuerint. Non fuit in vrbe, aut turris, aut domus, quæ si neutiquàm argento (quod ciuium fidei labefactandę impar erat) saltem plumbo Gallico non quateretur. Iam verò machinæ maiores, ita toto obsidionis tẽpore, horrendoq; fragore detonauerunt, vt suprâ nouies mille adactę in vr-  
bem

bem glandes numerentur. Accessère ijs ollæ incendiariæ, balistis iactatæ, centum ac septuaginta; cæterùm maiore domorum ruinâ, quàm hominum cæde. Bõborum manu missilium ( quos granadas appellant ) numerus, vel ex eo colligi potest, quod vnâ nocte eiusmodi telorum genus, propemodũ mille hostis excusserit; quibus tamen intra munimenta vr̄bis pauci è nostris occisi, aut læsi. Sed nec eiusmodi obsessis spicula defuere, quibus nec parcius in hostem, certè crudelius multò, ac damuosiùs vsi sunt documento est, imò quàm bellico facinori attribuunt, altera, tertiaue hostilium excubiarum, ac stationum mutatio. Quippè quod strenuâ, solertiq; vrbiculorum tormentorum explosione, longiùs ab vr̄be sedem figere hostes cogerentur. Accedente eò Ioachimi Paubellij tormentorum Præfecti, ac cæterorum qui machinas agebãt, studio, industriâque. Adde vix vlla belli instrumenta excogitari posse, quibus hostilem exercitum non attriuerint. Nam quia tormenta, globi, sarissæ, enses, & cætera id genus communia sunt: elementa quoque ipsa commouere: quippè à quibus aduersus hostem

Paubel gẽtilhomme d'Artillerie.

terrâ, faxis, sudibus, aquâ, igne, cœlo denique ipso per prodigia cornuscante pugnatum est. Exhinc plerique certâ supputatione affirmant, plusquam 12. Gallorum millia, vtriusque obsidionis tempore, quâ ferro, quâ igne, quâ fame, & morbis exitialibus consumpta: nevé gregariorum tantummodò militum funera, hîc recenferi quis putet: affirmant ipsum Myllerem, captâ iam vrbe, dixisse: *preter Officialium numerosam cædem, virulis auctæ apud Gallos Nobilitatis, centum, eoque amplius interitu obsidionem constituisse.* Et verò gazetæ Parisienses, in Philippi Baumontij Quæstoris Ariæ Regij in manus deuolutæ, ac Berwoutio, Delli-Pontio, alijsque ostensæ, affirmant terræ spatium, quartâ partè iugero minus, trecentis vno conflictu occisorum corporibus constratum; neque humum illîc ad tres passus fuisse, quæ Gallico sanguine non ruberit. Ad hoc Iustacius Sancti Prudeoli Dominus, Atrebatium Præfectus (provt ab ijs qui in Atrebatibus tunc erant, pro comperto accepi) statim sub obsidionis initia, quasi præfagio quodam dixisse fertur; *eam videlicet obsidionem, vt spissum Gallis opus, ita & cruentum*  
*maximè*

Baumont.

S. Preuil.

*maximè fore; quòd viri isthinc essent militia peritissimi, qui que ligone perinde, atque gladio uterentur.* Exstant passim ad urbem, intraque urbis pomœria tumuli, qui mille & amplius, corporum sepulturâ assurgunt; huiusce cladis mansura etiam apud posteros monumenta. E nostris porrò militibus, continuas inter fistularum explosiones, & maiorum machinarum tonitrua: simul atrocem (quæ sex hebdomadas tenuit) ad munimenta, ipsiusque urbis fossas oppugnationem, milites 150. ciues verò viginti circiter, præter tot ferme faucios, qui vrbe egressi sunt, occisi memorantur.

Interea dum præfidiarij Galli urbis portas; ipsaque; Prætoriana Heluetiorum legio forum occupat: Primaria Nobilitas, per instratos ad mœnium ruinas pontes, in urbem conscendit; indeque ad Diui Petri, specioso apparatu, solemni que ex more cantu, gratias Numini actura. Atque hîc Mylleræus ad ciues conuersus, pauca hæc locutus: *bene, sed serò ô ciues: nam diutius, quàm arbitrabar, aurem vobis vellicari passi estis.* Neque cum ipso pluri mi alij, insigniter defensæ urbis gloriam subticuere:

Blanche-  
croix.

ticuère: professi nempè, *etsi ad Ariam Gallici sanguinis multum; plus tamen ipsis gloria manasse.* Post hæc ferunt Mylleræum, ex P. Francisco Blancacrucio, Societatis Iesu Rectore, quaesivisse; quæ obfessorum mens fuisset, sustinendo extremi conflictus discrimini: ad quod tamen paratos fuisset ciues intellexerat. Respondit ille, tam obstinatâ fuisset omnes virtute, præstantiâque; vt non modò sine metu; sed & præceptâ animo victoriâ, ad conflictum concurrerent; adeòque extremi illius certaminis ardore flagrasset; vt pugnandi occasionem sibi auferri magis, quàm offerri pæniteret. Quod admiratus Mylleræus, triplicem rationem adiecit, cur à tantæ stragis vtrinq; futuræ periculo abstinere decreuisset. Primaque hæc fuit; *quod Catholica urbi, quæ ab insigni pietate audiebat, ignosci vellet: nam acerbiorum casum, quam vt animo perferre posset, futurum fuisse, si promiscuus in urbe sexus, honoratique ciues, (simili vt sit assultu; quando omnia per iram, furoremque militarem pessum aguntur) communi exitio periissent. Addebat neutriquàm abs Rege urbium ruinas, atque excidia; sed urbes ipsas expeti: proinde ciues non ad funera, sed ad deditionem,*  
quoquo



quoquo modo fieri extra violentiam posset, adducendos. Tertio suorum cladem pensitabat, maximè Nobilium; quorum ut cupiditas gloriæ maior; ita ad pericula incitator impetus: quibus etiam promiscuè mors honorata; at plerumque publico damnosior, emeretur. Verùm tamen hanc in hoste pietatem, prudentiamq; boni consulere quisque debeat: exploratum tamen est eundem suffodiendæ per cuniculos vrbi potiùs, quàm deinceps armis, assultuque, expugnandæ adlaboratum fuisse.

Porro ut & hîc conditiones lectori attexamus; ( quibus confirmandis autoritate publica emissi ex vrbe Franciscus vitriacus, Ludouicus Scaktius, vrbici Prætores: Ecclesiastici verò Philippus Roupheus Riuouillanus Abbas, & Robertus Ricouartius D. Petri Decanus ) præcipuè hæc fuerunt: ut Præfecti cum militibus vrbe excederent, vexillis explicatis, tympanis, tubisque sonantibus: pilis ( ut in egressu honorifico assolet ) in os insertis: demùm incendiarijs funibus vtrâque parte accensis: quibus & duo tormenta maiora concessa: simulque statutum ut eo appa-  
 ta pars ad Hispanorum castra, quæ in Bo-  
 singhue-

Passiones de-  
 dit a vrbis.

De Vitry.

Scakt.

Le Rouf.

Ricouart

siſſuemio vicino pago morabantur: pars  
Andomaropolim deducerentur.

Vt ciuibus integro iure in vrbe commo-  
rari liceret: ſi minùs trium menſium ſpatio  
liberè commeare, ſua diuendere; aut aliter  
provt lubitum eſſet, de iſdem diſponere.

Vt cuique ſua officia, ac dignitates ſuo te-  
nore, vt priùs, ſeruarentur.

Vt deſiquè reliqua, ſiue quæ ad ciuicam;  
ſiue quæ ad Eccleſiaſticam adminiſtrationè  
pertinerent Dei que cultum, in illo manerent  
ſtatu, quo à Catholico Rege ad Chriſtiani-  
ſſimum bello migrantia, æquum erat.


Hiſce igitur pactiõibus præſidium educ-  
tum; deditaque eſt Gallo Aria.

Interea redeuntem ex vrbe primòque oc-  
currentem Berwoutium Ferdinandus Prin-  
ceps amice excepit: & quia cæterorum Præ-  
fectorum virtuti honor, merceſque debere-  
tùr, quærenti ſubindè Principi ſingulorum  
facinora, placuit ſummopere Delli-Pontij a-  
nimi, fortitudiniſque præſtantia: par quoque  
Catricij æmulatio: neo multò intra reliquo-  
rù Præfectorum; militù ſimul, ac diuini ge-  
nerofitas: quibus Gubernator Philippi Bau-  
montij

montij pro multis ad bellum opportunè exquisitis præfidijs, ac præsertim annona curâ, industriamque addidit. Nec laude caruit apud Serenissimum Principem Senatorum diligentia; in quorum sinu, ac tutela, etiam inter belli procellas tranquillus pacis in vrbe status durauerat.

Digna profectò ciuitas meliore fato; nisi sic expugnata, ( vt neutiquàm ciuium animi ) in fortitudinis laude, omniumque lachrimis, & commiseratione triumphum inuenisset. Id enim promiscui militum, ac Centurionum; ipsi quoque Præfecti Beruoutius & Delli-Pōtius testati sunt: quamque durante obsidione Arienſium fidelitatem, ac constantiam suspexerant, abeuntes quoque fuis lachrimis decorauère. Erit hoc Ariësis populi perpetuum decus, quod neque futura ætas conticeſcet, ita se fortiter, ac supra morem gessisse, vt dubium sit maiornè victoribus, an victis gloriæ leges, messisque obtigerit.

FINIS



# ARIA RECUPERATA

SIVE

## OBSIDIONIS ARIENSIS

PARS SECVNDA.

**H**ACTENVS primâ Historiæ meæ parte expugnatam Ariam; nunc recuperatâ scribere aggredior: haud dubius animi laborem meum, si quidem in illa minimè ingratus, certè in hac magis- que, vt pote lætiori argumento, placituum: atque eò præsertim quod Numinis, ac Diuæ Tutelaris argumenta, & prodita, dum obsidio tenuit, & clarioribus etiam signis post captam urbem ostensa. Nam præter ea, quæ supra recensui, repertâ videlicet in ipsis mœnium ruderibus Diui Iacobi effigiem: Andreanam crucem cœlo conspicuam: attractum fulminis sine damno: à Deipara quoque beneficia,

*Deipara Vir-  
ginis benefi-  
cia.*

neficia, simul præfagia quædam non vulgaria extiterè. Enimuerò æquum erat siue Arienfi Virgini celeberrimæ in ipsa æde Mariana; siue Panariæ ad Diui Petri, cui vrbs ipsa ab annis ferè octo ( idque ex commento P. Ioannis Vincartij Societatis Iesu; qui tum Ecclesiastem agebat ) publicâ Magistratus, ac populi approbatione, dedicata erat, mœnia quoque ipsa, ac ciues, vtique iam sua, suosque defendere. Accessit eò Riououillana Virgo, quæ ad D. Petri translata etiam nùm cultu, & miraculis inclarescit: nempè, vt quæ virginis tutela esset, triplici cultu, atque appellatione firmaretur. Incredibile dictu est, quantus ciuium, militumq; ardor fuit ad eas Virginis aras, tamquam ad armamentaria quædam, accurrentium. Quippè illic sacris interesse, cereos votiuos accendere, supplicare: plurimi quoque animi sordes expiare, ac cœlesti pane refici, Vicissim Deipara militibus, ciuibusque animum addere; vires augere, fiduciam facere; quam nec in perditis, deploratisque rebus amitterent. Certè Marianæ tutelæ argumenta hæc fuère, quæ ipsa milites experti, atque inter eos iaciendis gra-

N. Dame  
de pane-  
tiere.  
Vincart.

N. Dame  
de Ruiffe-  
auville.

Le Cauail-  
ler Soula-  
re.

nadis intentus Soulatius eques Italus Centu-  
rio <sup>et</sup> plumbeæ videlicet fistularum glandes  
indulsum inter & carnem, ictu suppresso, at-  
que innoxio: emissa è præalta D. Petri turre  
spicula, de quibus hostes non semel questi  
sunt: quamquam nullius seu militum, seu ci-  
uium manu. Cæterum nihil æquè Mariæ pa-  
trocinium ostendit, quàm Virginis Panariæ  
lampas vitrea, quæ cum sacelli fornice decur-  
ssa, inter ruinas, lapidumq; ingentium acer-  
uos, integra, illæsaque reperta est: quasi do-  
cumento, quod in lampade veluti in simbolo  
recuperanda etiam post ruinam vbi protec-  
trix Diua vigilaret. Et verò tamquam id præ-  
sentificeret Ferdinandus Princeps, neque ani-  
mo recuperandæ Ariæ spem, neque exercitū lo-  
co mouit. Moxq; vbi Germanorū copias ad-  
uenisse intellexit, statim Lilleriū versùs pro-  
gredi acies iussa. Hic Lamboius iunctis co-  
pijs dolere apud Principem suâ morâ captam  
Ariam; tametsi ea ob Castellionis pugnam, à  
quâ victor redibat, sibi gloriæ cederet.

Itaque die quartâ Augusti Lillerium, quod  
hostis occupabat, tormentis acriter quassum,  
statimque captum, deditumque. Discessere

1671  
1672  
1673  
1674  
1675

M. D. C. LXXI  
de Ruffis  
1671

Ferdinandus  
de recuperã-  
da vrbe deli-  
berat.

Lillers.

Lamboius cū  
copijs aduen-  
tat.

Lillers ca-  
pitur quartâ  
Augusti.

zibea

ex eo

ex eo Galli supra 40. equites, 300. pluresque pedites Hefdinium deducendi.

His peractis exercitus noster non solum auctus, ornatusque, sed etiam acer, ac vehemens timore pullabat hostem, qui vallorum suorum fiducia, quibus urbem Ariam cinxerat, aduentantes opperiebatur.

Inter hæc Myllæus selectissimas ex castris cohortes urbis custodię addixit: vallis denuo, aggeribusque muniri, annonam introum, & ne quid ciues mouerent animaduerti iussit; reliquus verò exercitus animo, & pugnae apparatu occupatus nostros obseruabat, simul metuebat; eò maximè quòd in patetium murorum ruinis non modicum discrimen constitueret. Quippè cum difficilis, ac prope modum preclusus fugę locus cēseretur: omnibus acriter resistere potius, quàm miserè occumbere in animo erat.

Serenissimus itaq; Princeps Beckium misit, qui quod Ariam vsque iter superest, siluine, atque adeò insidijs, obnoxium esset, exploraret. Is adscito in itinere ducem Cariticio, Lyetrium venit (pagus est Cariticianae Lyette. ditionis, illicque præterfluentem Laquet-  
tam

*Gallorum ingens sese tuendi cura, & apparatus.*

*D. V. 1711  
W. 1711  
p. 1711  
All. 1711  
R. 1711  
F. 1711  
M. 1711  
D. 1711  
N. 1711*

*Ille*

Delbœuf. Delbœufius, alijque emeritæ militiæ duces,  
 ac nobiles quinque supra viginti, aut plures.  
 Tum Galli aliquot, qui ab exercitu popula-  
 bundi defecerant, propiùs admouère pedem  
 ac manus, ingenti sanè periculo Beckij, nisi  
 ex ephœbis vnus ad sclopeti ictum clamore  
 discrimen prodidisset. Statim ergò è Cæsareo  
 exercitu equites concurrere, ibique aliquam-  
 diu cum hoste cōgressi, immunem Beckium  
 seruauère. Et verò iam ad aures Ferdinandi  
 Principis fama pertulerat Beckium cum suis  
 in manus hostium venisse: at hic mendaci fa-  
 mę fidem illicò abrogandam ratus in Princi-  
 pis cōspectum se dedit: atque aliquatò post  
 ad egregium facinoris specimen sese accin-  
 xit. Erant in oculis Mylleræus, Duces, ac  
 Principes Anghuinius, Wittembergius, Al-  
 lwinus, Nemourtius, Enrici-montius, Espi-  
 roius, primoque hic iuuentæ Princeps ardo-  
 re incalescens, flosque eximix Nobilitatis.  
 Ad hæc Beckius Lamboium rogat num-  
 suos cōmittere proelio velit; offerri segetem  
 gloriæ: Gallorum recentem victoriã aut san-  
 guine, aut turpi fugã fœdari posse. Cōiunctis  
 itaque

D'Anguiẽ.  
 Wittem-  
 berg.  
 Allwin.  
 Remours.  
 Enrichemont.  
 D'Espiroie.



itaque copijs Lamboius hostem aggredi stauit: præmittitq; Draconarios ( est id militia equetris genus, leuioris armaturæ ) cum Doncrij legione. Hos Beckius Croatico more in hostem ire iubet: nec sine hostium sanguine id præstitum: donec Milleræus solutis ordinibus in fugam effusus ad vallum, quo prius urbem cinxerat, reuersus est. Cæterum exiguam tæcti numero cladem Nobiles aliquot, quibus ex vulnere mors secuta, illustrauere. Inter hos Princeps Espinoius; Marchio Laurerius; itemq; Bergerius Gassionij frater; Ranflauxius iuffoso equo periculū euasit; nec parua hostium suppellex nostris prædæ cessit, captiq; ex hoste plures ephæbi, ac Ferdinando oblatis, qui vbi suorum fugæ fidem fecêre; ab eodem cum tubicine ad urbem remissi.

Gallus pugna  
inua dicitur.  
Dragons.  
Doncre.

Gallus caditur.

Espinoie.  
Lauriere.  
Bergere.  
Ranflaux.

Interim Doncrius dum effusus in hostem ardori & audaciæ suæ indulget; insidijs, quas ad Linghuehenij nemoris radices Gassionius collocarat, circumuentus vexillis duobus carere coactus est.

Dum hæc aguntur, Beckius lectos equites, atque aliquot peditum legiones Linghuehenium nemus obuallare iussit. Substitere in eo

Linghuehen.

K

Galli,

Galli, velut ad pugnam parati, neque tam militum freti viribus (constat enim tunc non amplius 13000. aciem fecisse) quàm ipso loco defensionis opportuno. Quamprimùm id per exploratores Beckius cognouit, Laquetæ anni substrato ponte transmittendis deinceps copijs, quò faciliùs hostem aggredetur, animum adiecit.

*Hofis anxius  
ciuium quo-  
que seditio-  
nem timet.*

Myllerus contra sub discriminis tanti atque adeò improuisi casum, partes ad omnes intentus, vrgebatur simul ciuium timore, ne quorum in Hispanos animum crebrò expertus, questusque fuerat, eundem ad seditiones conuerterent. Quapropter aliquot vrbe cefuros ratus, si ad iuramentum adigerentur, trium mensium tempus, quod ad liberè discedendum, siue commeandum indultum erat, rescindi ac mense concludi statuit.

*Ciues ad iuramentum  
cõpelluntur.  
Goblin.*

Conuocatis igitur ciuibus antequam iurarent, hæc à supremo militæ, vt vocât, Intendente Goblinio præmissa est oratio.

*Oratio ad occupandos  
ciuium animos  
emphatica.*

*Hæc illa tandem tertia est ciuitas, quam inuictissimus Ludouicus Rex noster felicissimis armorum suorum auspicijs debellatam videt; reliquam breui Arthesiam, Deo iuuante, debellaturus. Cæterum*

*quam*

quam inclitæ civitatis vestræ noui virtutem, haud mediocriter vereor, ne pari eam laude efferre mihi liceat. Quippè etsi solido murorum robore munita, ciuium tamen, ac militum maiori fortitudine defensa est. Atque etiam eò splendidiora nobis sunt trophæa, quò fortius arma vestra restitère: quapropter id optimum censeatis velim, non lamentis lachrymisq; quasi per speciem amissæ libertatis vos tradere; at eò potius animum vestrum mollire, quòd victoria nostra, vestra est: quandoquidem per illam communi nobiscum fœlitate, ac vinculo in clementissimi Regis tutelam coiueritis. Siquidem remotiori antea astro inteti, nunc Solem illu Franciæ toti Arthebæ de proximo coruscantem aspicitis: qui & aliquando maiorum vestrorum euo diu præluxit: Nec verò urbis vestræ mœnia effregisse magnipendimus, nisi animos quoque vestros, non tam vi belli, quàm amicitiæ superasse gloriemur. Atque ego sic reputo, quod nobis pro voto, atque amore; id etiam desiderio vestro cardius euenisse. Itaque quos antea pro hostibus habuistis, in eorum modò amicitiâ, exercitum, diuitias, munimenta patriæ vos habituros cogitate. Proinde si quæ odia, aut emulationes, male occupatos animos exstimularunt, transuersumque egerint, etiam atque etiam

*vos rogo, ut ea victoria, & paci concedatis: Neque fortunæ decus, & gloriam ( quod multarum ad huc gentium cupido est ) per imprudētiam & nescio quâ malè obstinatæ mentis intemperiem arteri corrumpique sinatis.*

Acquebert osè prolocutus Acquebertium acceptis à Rege litteris, vrbis Governatorem nominavit. At civium pleriq; Patriâ excedere, quàm affectum, quem natura virtusq; Hispaniarū Regi addixerant, deponere maluerunt. Igitur pars maxima iusiurandum refugere, & antiquo affectu se tueri: quod profectò, vti Præfectis diffidentia, ita & militibus terrori fuit. Quibus videlicet, tametsi ciues iam exarmari iusserant, neque ad somnum capiendum, neque ad quietem interdiu quæredam, nisi obferatis armatisq; cubiculis, satis audaciæ erat. Quinimmò per diem ad occursum civium, quos obsidionis tempore tam fortes, validosq; senserant, ipsâ specie corporis, aspectuque terrebantur: iamque inde taciti secum de illis vrbe emittendis cogitabant.

Vt verò ad nostros reuertar, neque exploratores ( quos supra memoravi ) officio suo defuere:

*Ciues quamplurimi iusiurandum re-fugiunt.*

defuere: nã ab ijs certior iterum factus Ferdinandus Marchionem Geurum cum quatuor millibus aduentare: Croatas in Auroutio pa-<sup>Auroite.</sup> go, Ariam inter & Rentiacum, aliasq; equitum<sup>Renty.</sup> legiones, quæ iisdem in locis hæserant, ordinandis ritè insidijs, præmisit; vt hostem com-  
 meatu, quem importare studebat in castra, intercluderent. Quod vbi comperit Mylleræus; per stationum Præfectum cum quadra-<sup>Quartie-  
maître.</sup> ginta equitibus Marchioni Geuræo nuntiare iubet, iter aliud, quod Lisæ adiacēs erat, Terüannam versùs maturatò capessat; se mox<sup>Terüanne.</sup> suppetias cum exercitu laturum; Beckij copias duplici fluuio impediri, quò minùs se suosque lacefferet. Verùm is equitum Præfectus ex insidijs eorum, qui in suprà memorato pago cõfederant, appetitus captusque est. Ex quo cùm Ferdinãdus Mylleræi consilium didicisset: extemplò Terüannam versus iter intendi, & per arcis Liettrię hortos, Laquet-  
 tam traijci: impedimēta verò viã Estreã olim<sup>Estree blã-  
che.</sup> Morinis trita vehi iubet. Ceterum hostis dū mouere aciem videt, è castris equites quadraginta mittit in subiectam Linghuehenio nemori planitiem, quæ securum nostris tran-  
 situm

Prince de  
Line.

situm fecerat: tresq; illuc, quatuorue sarcinis onustos currus Linæ Principis, & Onelli intercipiunt; cæsis, aut captis aliquot è nostris, qui currulia isthæc impedimenta agebant.

Beaumôt.

Interea nostra se explicare acies ac progredi cœperat; parsque equitatus Bellimontium versus ( collis est milliari circiter ab oppido distans ) pergebat: cum subito hostis maioribus machinis equitatum nostrum laceffere: ex aduerso nostri quoque tormenta dirigere: ortaque hinc missilibus horrenda acrisque dimicatio, arcente utrumque Laquettâ, quò minùs pugnam manibus conferent.

Nielle.

S. Pol.

Ferdinandus verò excelsâ animi fortitudine, ubi noctem in Estræo pago exegisset, postridie superato Lisâ ad Nielleum pagum, qui ad Morinos proximè adiacet, castra mouit. At sub noctem cum Paulopolim versus moturum hostem nuntiatum esset; statim exercitum sisti iussit, qui exinde summo manè alterius diei iter relegere, atque de integro disiectos ab hoste pōtes in agro Liettrio, traiciendo amni, restaurare aggressus est. Beckius aliquot equitum centurias, tres peditum legiones, simulque, quas habebat eris machi-  
nas.

nas præire iubet: Catricium verò vię, & regi-  
 onis peritū Petri Leonij legioni addicit. Se- Pedro Le-  
 õn.  
 quebatur exercitus haud segnis: incitamento  
 erat hostis, qui composito agmine, seruatifq;  
 ordinibus circa Linghuehenium nemus pro-  
 gressus commodam isthïc sedem fixerat, no-  
 strosq; opperiebatur. Postrema acies, cui Lã-  
 boius præerat spe pugnæ non tam incedere,  
 quàm rapi videbatur, calētibus animis iuxtà,  
 ac propemodum ensibus; quos fuso nuper fu-  
 gatoq; ad Sedanū Castilionis exercitu, Galli- Sedan.  
 co sanguine cruentarant. Meminerant se ho-  
 stē impetere, at eò minùs sibi formidandum,  
 quia vicissent. Erant præterea in oculis Gal-  
 lorum manubiæ, currus, equi, flosque, ac  
 nervus Gallicæ Nobilitatis; quem si hac vice  
 ferro succiderēt, & belli stirpem & toti Ger-  
 manix, ac propemodum Europæ feralem se  
 oppressuros arbitrabantur. Irã itaque & ar- 8. Angusti.  
 dore incitati iter vrgebant. Inter hæc ecce  
 tibi eminùs atrox tormentorum fragor, sta-  
 timque à fronte, à tergo, à latere, tum equi-  
 tum, tum peditum manipuli hostiles se osten-  
 dunt: qui tamen plus animi, quàm terroris  
 Ferdinando Principi attulère.

Is ergò

Ferdinandus  
 pugna se pa-  
 rat.

Is ergò derepentè lustrare copias, obequi-  
 tare in conspectu hostis, dicere ordines, mo-  
 nere, hortari. Atque ad Beckium, qui prope  
 aderat, conuersus *Mariae nomen*, inquit, *futuri*  
*certaminis signum esto*. Excepit hâc vocem Bec-  
 kius, quam protulerat Princeps pietate in  
 Virginem memorandâ, neque dispari fidu-  
 ciâ: quippè cuius laudes, etsi bellicis virtuti-  
 bus claræ, non minùs tamen affectu, pietate-  
 que in Virginem Austriacorum Principum  
 exemplo ac more celebrantur. Reliquis mili-  
 tiæ Præfectis, atque ad eò toti exercitui, qui se  
 ad pugnam prouocarèt accenderètque, Fer-  
 dinandus exemplo erat: & militum quidem  
 hæc vox audita est: *hodie tandem aut victoria,*  
*aut certè honestissima mors Ferdinando nos proba-*  
*bit*. Cumq; hoc clamore sese quisque ad pug-  
 nam incitaret: ecce de hostium statione orta  
 disceptatio. Quippè eminentē syluâ, quam  
 occupauerant, variâ hinc inde viâ, & veluti  
 aggeribus, ac quibusdam ad latebras muni-  
 tiunculis eruerant: à fronte fluuius, à tergo  
 valla, à latere æquiore loco colles, consitis ad  
 syluæ speciem arboribus, accessum perdiffici-  
 lem dabant. Ad hæc variorum sententiæ haud  
 imme-





82 *ARIA RECUPERATA.*

metu, quàm fugâ. Pars Audomarenſi itinere  
 altiùs trans Liſam: pars propiùs per Iumellæ  
 agrum progreſſa eſt: atque primâ nocte in V-  
 penio pago, gemino ab Aria milliari, exſan-  
 gues metu caltra metati ſunt. At noſtri ſub  
 noctis decimam perſpectâ fugâ Croatas cum  
 aliquot equitum peditumque turmis immi-  
 ſere in palantes, quorum aliquot intra valli  
 ſui ſepta, que ad urbem erant, impulere, alios  
 abduxere captiuos: nonnullos ſuis dumtaxat  
 ſarcinis, aliquos vitâ ſpoliauere. Hæc dum  
 fiunt, Beckius cum Lamboio, qui extremam  
 ducenti aciem Gaſſionio propior ibat, eum-  
 dem retrocedere coegit, atque ad ipſas urbis  
 portas pedem referre: ibique aliquamdiu ſub-  
 ſtitit: verùm cum excuſſi valido impetu ſuis è  
 machinis maiores globi ad ipſas etiam portas  
 pertingerent; intra urbem ſe abdidit, fugam  
 celantibus utcumque tenebris, additoque im-  
 perio, ne quis ciuium, fenestris domorum a-  
 pertis, aut facibus, ad oſtia prodiret; acer-  
 biuſculè etiam ferens ſibi Lunam faculâ præ-  
 lucere. Hæc curruum tranſmiſſio incredibili  
 confuſoque ſtrepitu totam noctem tenuit: ſe-  
 cuti ortâ luce Mylleræus, & Guichius, poſt-  
 quàm

Vpen.

*Mira recedē-  
 tium hoſtiū  
 intra urbem  
 confuſio.*

quàm apud Patres Societatis rem extremæ aleæ plenissimam Deo commendassent.

Quamprimùm ex colle, qui Sancti Lamberti pagum despicit, hostium fugam Ferdinandus aduertit, ex suis, quos consiliorum participes habebat, percunctatus dicitur: nū fugientes persequi opportunum esset? quibus eò maximè inclinantibus, cùm annona, quæ in castris deficiebat, in horas expectaretur, prius eam opperiri Bethuniâ visum est. Adde quod fluuij duo difficilem transmittendis copijs viam facerent, moramque longiorem, quam res pateretur. Exercitu ergò ea in planitie, quæ pagum Mazinghemium à Sancti Mazinghẽ Lamberti diuidit, consistere iussu: milites, quibus sentiendi, ac dicendi licentia est, ardore pugnæ sine pugna se elanguescere querabantur. Post hæc, acceptâ annonâ, præcipuis militiæ ducibus variè disceptatum fuit, præstarene adornandæ obsidioni hostiũ val-la occupare: an postremo agmini, cui Gassionius præerat instare: postremum illud primo manè vigeri placuit. Pars igitur equitatus superato Laquettâ, vbi Liettrię arcis hortos al-luit, pagum Inghuengatium affecuta est; vbi Inghuen-gat.

postremam fugiētium aciem prope Terüan-  
 ne fines cędēdi spes erat. Verū vbi per explo-  
 ratores didicēre nostri primo diluculo hostes  
 ad amnem, cui Aä est nomen, peruenisse fa-  
 cto primo Faucquēbergę transitu: fuēre non-  
 nulli, qui in pagum Lisburgum deduci exer-  
 citum vellent: rati nullo isthęc negotio sisti  
 prauertiq; hostem posse. At vbi compertum  
 est difficultatem itineris à syluis geminoque  
 fluuio haud exiguam esse: simul Gallis trans-  
 mittendo in vrbem commeatui aditum dari;  
 Ferdinandi Principis ad obsidendam vrbem  
 consilia versa sunt. Tum verò Beckius ordi-  
 nandis stationibus intentus, adiunctâ sibi e-  
 quitum turmâ, primoq; Mamezium pagum  
 (vna ad Ariam lapide) cogendo exercitui ad-  
 legit. Hic cum Principe ac præcipuis castro-  
 rum Præfectis, de admonenda vrbi obsidio-  
 ne, deque eius modo, ac loci genio, situque  
 consilium habitum est. Siquidem famem,  
 atque inedia, durum profectò obsessis te-  
 lum ac fatale, nec diu ferendum hostibus  
 plerique opinabantur. Non desuēre, qui ferro  
 & excitatâ ignibus ferociâ, vt in priori ob-  
 sidione, rem gerendam affirmarent. At Bec-  
 kius

Aä fluuius.  
 Faucquen-  
 bergh.  
 Lisbourg.

Deliberatio  
 obsidendę  
 vrbis.  
 10. Augusti.

Mamez.

kius maturo & acri, quo valet iudicio, aliquorum simul relatione, qui exiguam in vrbe annonam memorabant sæpe Ferdinando edixit. Quoniã multa ad quatiendam urbem adeo terrã, aquã, ac milicibus munitã, satis sibi non suppetere, famem adhiberi oportere; illã confici hostẽ posse; sex millia isthuc militum recenseri; angustam admodum annonam: ac proinde breui se victoriam sperare. Eamdem quoque multis, qui aderant, spem esse. Propterea quòd biscocti (quem vocant) panis aceruum ingentem ab hoste intromissum, frumenti que apud ciues copiam minorem longè autumabant. Occurrebat inaudita hostium cades prioris obsidionis tempore, ex qua cuilibet de futura cogitare pronum erat: cum mille quingenti è nostris in nupera obsidione, florentem numero & viribus exercitum ad hebdomadas decẽ retardarint, fregerintq;: multos esse in vrbe Gallorum Nobiles, qui illam tanto emptam sanguine, suo etiam venalem cupiant: mortem ipsam velut præteriti laboris stipendium reputantes: rogare itaque Principem, atque obsecrare vt fame potius, quàm ferro urbem premat. Hæc Beckius cum fusè liberèq; dixisset, ad extremum addidit: hostem quã astu, quã viribus, versoque ad finitima loca

*exercitu urbis iacturam propulsaturum, si possit: proinde locis quibus timeretur, consulendum esse; Bassæamque imprimis muniri oportere.*

Bassæe.

Auxère in Principis animo expugnandæ urbis voluntatem missi Flandriæ Ordines, qui Prouinciæ suæ amissam clauim querebantur: peruios hosti esse ditissimos vicos; periclitari oppida: subiacere excursionibus Ypresium agros; Cortracenses etiam addebant se non

*Flandriæ Ordinum de recuperanda*

*Aria expos-  
tulatio.*

Ypres.

Cortraie.

vacaturos metu, Lisæ suam urbem assidere, atque inde populationibus cum cætero adiacenti agro infestum fore: fœcundos Allodij agros, Armeteriam; atque adeò Insulensium ciuitatem Gallico furori, ceu metam proponendam dicebât. Quapropter se aurum, annonam, alendis equis pabula; largè denique quidquid ad leuandas obsidionis impêlas spectaret, suffecturos spõdebant. Nec certè Principem eorum fefellit opinio ac fides. Is ergò

Laleux.

Armentiere.

Ordinum ardore, suoque magis incitatus extemplò ad Flandriæ caput (vbi ingens cingendæ vrbi ductum ab hoste munimentum) veteranos milites mittit, qui explorent, num illïc hostiles adhuc excubię apparerent; num eâ parte aggeres, pontsq; qui Lisam infederat;

La Teste de Flâdre.

disiecti

disiecti essent. At ij cum nihil superesse Beckio nuntiaissent; ipse adiuncto sibi Catricio itineris duce obire hostiles aggeres multis in locis disiectos statuit; atque à loco ( cui molendinum Comitis est nomen ) protenso itinere ad memoratum Flandriæ caput perrexit. Inde reuersus ad castra de aggerum statu Ferdinandum edocuit. Exin postridiè aggeres, qui Mamezio pago obiacebant ex parte dirutos rursus attolli ac redintegrari iussit. Exercitus verò Lamboij in Diui Lambertii agro haud segniter augendis vallibus institit; atque tum Ferdinandus suapte haud impigri militis opus vrgere, ac impellere visus est. Exinde loci viciniam duce Catricio peragrare, perlustrare aggeres, & pristinas hostis sedes, ipsumque Flandriæ caput spectare. Mox vbi cognito loci situ castra vrbi propius admouisset: singulis sua tum primùm attributa statio est. A Lisa ad Laquettam vsque in editiore loco, vbi antea Guischiij, Ferdinandi tentoria erant: Beckij proxima, cui, vt animi, ita loci coniunctione propior Comes Issemburgius imminebat. Agrum, qui ad ve-

*Castrorum distributio.*

Issembourg

ones

Salazar. ones Hispanicæ Petri Leonij & Salazarij, atque Italicæ Strozziij, ac Delli-Pontij obtinebant: Beerij, atque Embisij Iumellam. At Francisco Pardo cum magna equitatus parte, Courteuil- atque Curteuillio obtigit ille locus, qui Principis tentoria à Molédino Comitis discernit. Equitatus verò liber ac vagus prædæ inhians Nouæ fossæ imminebat. Ad Mamezium pagum tormentorum Præfectus Comes Fonsaldanius, additâ Georgij Castellij legione sedit; nec lōgo post interuallo Claudius Lamoraldus Linæ Princeps, & Lancelotus Grobendonckius cum lectissimis Wallonum legionibus suis in locis, ceu belli fulmina sequebantur. Ipse etiam Berwoutius suam eiusdem gētis legionem non procul locarat. Adderat Eugenius Onellius, suâ apud Belgas, ac suorum apud Hibernos inclytus laude. S. Quintini ager Rouuerio, & Ioanni Viuero cum maximo equitatu; adiuncto sibi Grandimontio, qui aliquot equitum turmis præerat, sedes fuit. Lamboio arx Bevrensis, in Diui Lamberti agro, pro statione cessit, cui aderat Ludouicus Croatarum Legatus. Hinc Tressensem vsque villam, quæ prius Myllleræo statione



tio fuerat; indeque ad Lisam equites, atque seorsim pedites Germanico labore lateritias sibi oppidi in modum sedes statuere. Distributis itaque hoc ordine stationibus coepta obsidio fuit. Inter haec missae à Flandriae Ordinibus recentes copiae, (Electos vocant) alijs permixtae magnopere exercitum auxere. Statimque, supra omnium fidem, vis molesque aggerum, quos hostis passim aut reliquerat integros, aut ex parte tantum diruerat, accreuerunt, atque eodem ambitu, seu vallo à nostris, quo prius à Gallis. Ingens adeo extructum opus, ut par nullum in Belgio (quod haecenus Martis sedes fuit) fuisse crederetur. Quippe triplex multis in locis vallum hosti comitum intercludebat: aliud verò urbes propius, quod obsessos (quo minus in nostros impetum facerent) intra certos fines coercerent. Ad haec circum procurrentia in planitiem tuendis aggeribus munimenta in cuneos passim & calcaria desinebant: quibus & circum aggeres depactique geminis ordinibus in terram stipites, seu pali, in sepis, aut coronae speciem, ad sex propemodum miliaria porrigebantur.

*Flandrorum  
suppetia.*

M.

Dum

Dum hæc in Ferdinandi Principis oculis geruntur, eumque recuperandi mox oppidi cupido, simul gloria allectat, ingrauescens eius valetudo eò importunior, grauiorq; accidit, quò exercitui tanti Ducis auspicijs, reportandæ gloriæ spem quasi præscindere videretur. Verùm cum eius salutem victoriæ etiam attribueret, medicorum sententiâ paululùm vt à castrorum tumultu secedens curâdo morbo incumberet, opportunum visum est. Stegris igitur Armeteriam iter aggressus: Contraci deinde tutò iuxta ac opportuno loco, vt quæ in obsidione agerentur, pernosceret, aliquamdiu moratus est. Ibi què aiunt magni animi Principem non minùs suorum rebus, quàm valetudini curâde ita se habuisse, vt præesse bello potiùs quàm abesse videretur.

Interea hostis dum occupatâ in vrbe tantâ sibi obijci molē videt: non mediocriter cum victricibus Hispanorum armis, tum suo, suorumque qui euaserant, timore percellebatur. Quippè fortuna ad constantiam, si diu prospera; ad metum verò si aduersa, promiscua occasio. Cæterùm Gubernator prolixè crebròque hortatus milites: *securitati potiùs,*  
*quod*

Estaires.

Gubernator  
Gallos obse-  
sos animat.

quod illi nimio timori, dandum affirmabat: partem gloriæ memores essent; alteram haberi victoriam armis parta, iisdem defendere. Usque ad eum fortes, ac probatâ belli virtute omnes valere: ipsam urbem muris, & aquis cinctam pro milite esse. Suppetias haud dubiè expectari: difficilius esse Gallos ab urbe deturbari, quàm Hispanos ab ea non repelli. Addebat insuper se 6000. ducatos aureos, militum partim stipendijs, partim alijs belli usibus, atque operis destinatos à Myllero accepisse: diuitem denique ab eodem ( quippè quæ è castris allata fuerat ) annonam possidere; amplioem apud ciues capeffendam.

Hæc à Governatore crebrò memorata, satisfiè ad urbem, salutem uè tuendam sufficerent, plerique secum taciti agitabant: atque adeò inter cæteros Heluetij: quippè qui iuramentam Austriacis Principibus fidem, quâ Gallo, Hispanicæ urbis intra mœnia, suffragari prohibentur, corrumpent. Quod utique tanto etiam timori Governatori erat, ne obstinatius agerent, quantum bona communisque militum fides, ad tuendam subinde salutem interesset. Is ergò maiori industriâ, postquàm Heluetios pecuniâ, pinguique oblatâ annonâ

Heluetiorum  
metus & anxietas.

*Militum in  
urbe lustra-  
tio.*

nonnihil demulisset: lustrati statim milites 4000. recensēbātur: præter 2000. ac plures, quos siue vulnerum, siue morborum grauitas nosocomio addixerāt. Aderant præterea bellicis officijs præfectæ, simul emeritæ Nobilitatis supra 400. qui occupandæ Richelij gratiæ occasionem nacti, non mediocri virtutis specimine se prodere gestiebant. Erectis sic animis milites murorum ac munimentorum restaurationem aggressi sunt. Tum ciues eò non solum hortatu, sed imperio difficulter adducti.

Porro obsessum hostem sollicitudo incredibilis tenebat, quo potissimum telo, famenè; an ferro ciuitas infestaretur: malebat enim famem adhiberi, ratus nimirum obsidionem diuturniorem fore: quinimmò in hyemem atterendo Hispanorum exercitui trahēdam; cum alimenti, biscocti imprimis copiâ ciuitas afflueret. Cuius rei procurandæ occasionem Beckio daturus Gubernator, insignis fraudis artificio vsus est: apud ciues, iam tum videlicet ad emissionē destinatos, queri solitus de annonæ angustijs: *nihil æquè timere se, quàm ne ciuitas breui ad deditiōē cogeretur: luge-*

*Gubernator  
obsidionem  
fame potius  
quàm ferro  
adhibendam  
procurat.*

re suam eo modo foelicitatē, Regisq; gloriam euertri:  
 perinde quasi tanto vniuersae Galliae impedio occu-  
 pata ciuitatis victoriam vnâ dumtaxat die defini-  
 ret. Et verò aliud in ciues secum ipse cum a-  
 nimo suo volutabat: nam vt eos supra dicto-  
 rum conscios ad Beckium amitteret, varijs Ciuium fide-  
 litas & pati-  
 entiam odio-  
 sis. plenisque odiorum operibus vrgere coepit:  
 nunc videlicet tormenta, quæ à castris in fo-  
 rum deducta erant, mœnibus hosti obijciēda  
 inuehere; nunc aggeribus extruendis insuda-  
 re: nūc Hispanicos cauillationibus laceffere.

Quæ omnia ciues inuitè quamuis, eò tamen  
 impigrius ad speciē vrgere visi, quod ea belli  
 instrumenta, atque opera, à Gallo in Hispa-  
 num cessura taciti secum, neque ex vano au-  
 gurarentur.

Ad hoc secutum mox consilium, quo Gu- Deliberatio  
 Gallorum de  
 ciuibus vrbe  
 emittendis.  
 25. Augusti,  
 bernator conuocatis militiae præcipuis duci-  
 bus proposuisse fertur. Non dubitare se quin tā-  
 to pretio expugnatam urbem, maiore etiam vindi-  
 cari Rex vellet: quapropter vrbi consultum fore,  
 si ciuibus tanquam domesticis hostibus exueretur:  
 abiectos quidem eosdē, ac timidos fore, si alea Gal-  
 lo benè vertat, ac proinde inutiles: contra verò si  
 Hispano, audaces ac seditiosos: ab ijs quiduis sibi

agendi libertatem impeditum iri: si quid in Urbe agerent, occultis fraudibus hosti manifestaturos: eâ ratione in Urbe securitatem: extra Verò apud hostes desperationem creari posse.

Mouit ea propositio multis stuporem; pluribus dolorem; paucis voluntatem; plurimi enim victo populo infringi fidem, haud equo animo patiebantur: ab hoc quippè facinore abstinuisse Hispanos argumentati, qui captâ Corbeâ Urbe, eâque iteratâ obsidione cinctâ Gallos intra moenia sustinebâr. His nihilominus auditis Gubernator speciosum Regis nomen, nutumq; obtendens (referebant enim nonnulli id acceptis Richelij litteris in mādato fuisse) tantę oppugnationis urbem, etiam ciuium ex ea amissione, vindicandam asseruit. Postridie igitur capitali edicto, vbi sarcinas itineri apparare iussi ciues, ecce subito forum occupare militum ordines, agmina vicos obire; sonare tympana; incendi funes; tumultum cieri. Quod quòvsquè terroris dolorisque permiscui, ciuibus erat; ex eo facile liquet, quod rei efferendæ studio pars occupata; pars agitatæ priuatim consilij intenta; pars vxorum fletu liberorumque gemitu impedita, ante horæ binæ

Corbie.

Ciues urbe  
expelluntur.  
26. Augusti.

binæ spatium egredi iuberentur. Cuiusvis sexus, ætatisuè ter mille numerati sunt; non pauciores trecentis viri in vrbe retenti, qui varijs operibus opportuni, ex rei bellicæ occasione, Gallo inferuissent; addicta etiam cuilibet domui, curandę seruandęq; suppellectili fœmina vna, alterauè: Sacerdotes ( præter Canonicos ) non pauci, & sacrorum etiam ordinum alumni, tamquam auulsi à liberis parentes; dolorē àuxêre. Monialibus, fœtuq; grauidis vxoribus, ne nimio ( vt putabant ) iure peccaretur, indultum, vt in vrbe remanerent. Porrò etsi hoc maximè calamitosum, ciuium tamen ( quod dictu propè incredibile ) maior, supraq; ipsam miseriam constantia videbatur; qui pristino robore, vultuq; ac recuperandę spe libertatis exilium tolerabāt: rati etiam coactæ discessionis, quàm datæ apud hostem libertatis fœlicius beneficium. Verùm vt & naturæ quidpiam largirentur, patres matresq; in discessu osculum liberis dedêre, mixtis gaudio doloriq; lachrymis, reditū sibi in urbem vicissim quasi augurati.

Beckium interim hisce rebus auditu, visuq; asperis attonitum, & ad iustam vltionem concitum

*Beckius Ci-  
nium ex vr-  
be dimissio-  
nem egrè pa-  
titur.*

concitum hæc locutum ferunt. *Errare hostem,  
dum præcipites agens ciues, fide pactoque sancitam  
libertatem infringit; antiqua lædi militiæ iura:  
quamquam innocentium iniuriâ securitatem sibi in  
vrbe capesseret, uti iniquam, ita & intutam fore.*

Le Rou.

Quamobrem vbi primùm emissorum multi-  
tudo ad castra peruenit, statim per buccina-  
torem remitti iussit: conquestus alienâ incle-  
mentiam, clementiam sibi præripi, nec posse  
ciuibus tribui, quod Regi officeret. Ceterùm  
sub vesperam obstinatis vtrinq; animis, dum  
vltrò citròque dubij commeant, Philippus  
Ruffius Riuouillanus Abbas (cui Foyësis Vir-  
ginis imaginem præferenti precibus lachri-  
misq; affusa turba circumhærebat) rogato ad  
Beckium aditu, suoq; apud eum studio tran-  
situm cæteris perorauit. Perducti igitur Au-  
domarum ciues: at multi apud Beckium hæ-  
serunt, suam aggeribus siue occupandis, siue  
extruendis operam locaturi.

27. Augusti.

Postridie publico in vrbe edicto procla-  
matum est, vti frumentum omne, ceterùmq;  
alimenti genus; quod apud ciues esset in pu-  
blicum armentarium deportaretur. Primâ-  
que lustratione domesticatim habitâ frumeti

*Annona ciui-  
bus erepta.*



900. modios: alterâ paulò post 800. tertiâ sub obsidionis finem 70. circiter collegere: quos datâ etiam schedulâ pensandos à Rege Gubernator pollicitabatur. Plusque frumeti ad præsidium Gallicum suffecisset, nisi ij, quibus commissa res erat, sibi potiùs, quàm alijs clandestinatâ industriâ consuluissent. Cæterùm relictis in vrbe à cætero exercitu 900. farinæ modijs, simulque biscocto pane ingens supra fidem annona erat. Atque huius imprimis alimeti tanta copia, vt totâ propè tenente obsidione, quotidie suum cuique militi libum obtingeret. Ad hæc Gallorum cæterisq; Heluetiorum Præfectis pecora, quæ cuiusque in domo reperta essent, concessa: vetitumq; ciuibus ne huiusmodi animantia aut diuenderent, aut mactarent: custodia pænâ intentatâ, quæ nonnullos inuoluit: quippe ex dura necessitate amarissimæ quoque leges & imperia oriri solent. Nam vbi ad salutem arma nil prodesse, ipsa pro munimento præcipuo, ac robore annonâ habebatur. Quod vtique cùm ciues, atque vnâ sceminæ animaduertent: ipsa cibaria protrahendæ suæ miseræ, veluti sustentamenta quædam, conuellere,

celare; posthabitâ etiam lege diuēdere: questi etiam non rarò apud hostem (vt eluderēt) alimentorum facultate se defectos, adeòque contra ius ad mortem, aut vitam inediâ miserè trahendam se redigi.

Perturbatis ita rebus suppetiarum interim cupiditate, speque hostis alebatur: eamq; ob causam emissi ex vrbe exploratores: Galliâ etiam nonnulli reuersi, nil vltra spem Gubernatori (quâtum perspicere licuit); militibus contrâ metum, ac desperationem retulêre. Hincq; seruandę curandęque vitæ maior cuilibet meditatio; sibiq; vendere mutuò, aut diripere milites, militibus ciues cœptabant; donec mortis edicto Gubernator aliquot è Gallis pœnam armis, more militum dare iussit. Atque viguit deinceps, quia seuerior disciplina, nec vlli aliquâ ex parte sine supplicio infracta, vt vel olus dumtaxat sublatum capitatis reos efficeret.

Inter hæc, vbi quos consiliorum habebat participes apparato epulo Gubernator excepit, nocturno in obsidentium aggeres impetu irrupere consilium aggressus est. Compositis itaq; agminibus variâ viâ atque incur-

su

fu progressi, priusquam aggeribus imminerent; nostri, qui in primis excubijs erāt, mixto armorum vocumq; strepitu conciti aduētantes præoccupabant, datoque ad proxima præsidia signo, ita ferociter repulere, vt non nisi ad urbem fugientium per tenebras cadētiumque clamor reuerterit. Quod postridie cum ad Creuderij Heluetiorum Tribuni, qui domi eger erat, aures peruenisset; conuocatis Gallorum quibusdam Præfectis, latino idiomate hisce verbis obiecisse fertur: *Credo vos heri, aut stultos, aut reuera ebrios fuisse.* Pluris enim æstimabat suis extra temeritatē militibus consuluisse, quàm hostium partem aliquam cæcidisse: qui nouis auxilijs, vt in libero campo, ac trāitu augeri possent. Multi subinde Heluetiorum malè occupatis, hoc potissimum facto, in Gallos animis obijcere solebant; se quidem pro ijs arma; at neutiquā indolem, quæ ab Heluetiorum moribus haud parum dissentit, amplecti. Ad hæc Gubernator ne discrimini quædam in Heluetijs indignatio cederet, argentea vasa, sua primum, ac quorundam Ducum, à ciuibus deinde inuitis accepta, statimque in nummos redacta,

*Irruptio Gallorum extra urbem frustanea.*

Heluetijs in stipendium cedere voluit. Inerat autem nummo hoc elogium.



Cæterùm & hoc in maiorem perniciem versum est: siquidem res cibaria, cum quæ apud ciues, tum quæ apud Annonarios erat, his vtrò citròque distracta pecunijs in dies summoperè minuebatur.

*Richelij tuē-  
dæ urbis soli-  
citus.*

Dum hæc in vrbe: Richelius Cardinalis extrema victoriæ suæ ab Hispano quasi demeti, occuparique impatiens; quâ tandem ratione Gordium hunc difficultatis nodum exsolueret, cōtinuò secum cogitabat. Nimirùm turpius vulgò parta haud tueri, quàm non adipisci; dubiumque maiorinè gloriâ acquiras, an ignaviâ, adeptæ victoriæ decore exuaris. Igitur iunctis Brezæi cum Mylleræi copijs, ab illo Lendium oppidum, ab hoc Bassæam obsideri iubet: ratus nostros ab inchoata obsidione hoc modo posse amoueri: sed tanti

*Brezæ.*

non

non erat, quâquam fœlici audaciâ, geminum *Lendium & Bassæ capi-  
untur.*  
 oppidulum exiguum intra tempus occupasse. Porro futurum victorię suę decus nostri non  
 minùs quàm æmuli hostes observabât: atque  
 adeò quantò Gallorum priùs arma ferociùsq;  
 expugnarant: tantò fortiùs tueri par esse ar-  
 bitrabantur: nec faciliè subueniendum leuior-  
 is momēti vrbibus eũ periculo maioris amit-  
 tendæ victoriæ. Intēti igitur in nostros Galli,  
 vbi obstinatiùs ad Ariam hærerē conspician-  
 tur, ex eorum cunctatione rei agendę oppor-  
 tunitatem existimantes, vbiq; signa inferre  
 vrbibus, bellumq; ad interiora Flandriæ mo-  
 uere meditabantur. Dumq; hoc belli ardore  
 sese inuicem excitant, ecce tibi explorator  
 nuntiat Insulas Gallo-Flandrię præcipuũ iux-  
 ta, atque opulentissimum oppidum milite de-  
 stitui, emissâq; ad castra Arienſia locuplete  
*Gallus Insu-  
las occupare  
conatur.  
Lille.*  
 annonâ laborare: ad hæc incredibili captæ  
 Bassæ, (quę illis propiùs affidet) agi metu ci-  
 ues, atque adeò facili negotio posse intercipi.  
 Igitur vbi res compositis primùm à Bre-  
 zœo, Myllæoq; litteris, quibus Insulani ci-  
 ues ad deditionem sollicitabantur, neutiquàm  
 procedit, vlteriùs ferociâ militari, igne scili-

Seclin.  
Haubourdin.

1. Septembris.

Fuental-daine,

Fauxbourg des malades.

cet, ac ferro sauire statuunt. Eapropter Bre-  
 zæus Seclinio; Mylleræus verò alterâ ex par-  
 te Haubourdinio copias proficisci iubet; va-  
 statis hinc illincque incendio occurrentibus  
 pagis, ne quid fortasse militaris licentiæ, ac  
 sæuitiæ ad inferendum metum occultaretur.  
 Mox vbi ad urbem exercitus vterque consti-  
 tit: calendis Septembris nocte concubiâ ad  
 vsque suburbia processere: vbi & vtrimque a-  
 criter, validèq; pugnatum est. Aderant enim  
 in vrbe Fonsaldanius Comes cum Hispano-  
 rum legione, ipseque Alonsus Strozzius cum  
 sua Italorum, qui ad suburbia dispositi ingē-  
 rem Gallis irruētibus cladem intulere. Con-  
 stat enim in ipso agrotorum (vt vocant) sub-  
 urbio, in quod Prætorianæ Gallorum legio-  
 nis, aliarumque impetus fuit, plurimos lesos,  
 caesosque. Horrendū verò eam nocte Insulanis  
 ciuibus, qui supra muros in armis stabant,  
 spectaculum fuit duorum suburbiorum con-  
 flagratio; simulq; molendinorum, que sparsa  
 per agrum ventoque versabilia visabantur: at  
 dubites profectò vtris feratior ea lux exstite-  
 rit: quippe per ea incendia patentes Gallicæ  
 turmæ, dum eminus terrent, accēsis ad mor-  
 tia

nia maioribus machinis feriebantur. Hostiū-  
 que testimonio compertum est nusquam ad  
 vrbis accessum maiora tormenta horridiore  
 fragore, globorumque iactu sæuiffse. Et verò  
 frustra erat Gallos in vrbem Insuléssem quid-  
 quam moliri, eò præsertim die, id est feriâ se-  
 cundâ, quo Beata Virgo Cancellata ad San-  
 ctum Petrum totius oppidi Patrona eximio  
 cultu, quâque hebdomadâ colitur. Nempe  
 Insulensibus prærogatiua victorię erat tali die  
 inuadi. Itaque vbi hostis nil proficit, sub me-  
 ridiem ad ea Flandrię loca, quę Lisę adiacet,  
 deflectere visus est; eoq; tractu hostiliter va-  
 stato, ac incendijs latè deformato: frustra e-  
 tiâ Armenteriam oppidum attentauit. Nam-  
 q; missa eò loci è Lamboij copijs Chiliarcha  
 Riurierij præclarissima legio, ciues simul ad-  
 scito sibi veluti in ducẽ Iacobo Preuotio Ber-  
 uoutij ( vt vocant ) Corniculario magnis ani-  
 mis nec sine clade accedentem hostem repu-  
 lere. Cæterum cum neque hæc Gallis succe-  
 derent, neque castra ad Ariam mouerentur:  
 Bapalmas citatis itineribus primùm à Mar-  
 chione Lenoncurtio occupari iubet Mylle-  
 ræus, quas denique admoto exercitu acriter  
 expug-

N. Dame  
de la Treil-  
le.

3. Septem-  
bris.

La Riue-  
re.

Preuost  
Adiudant:

Bapaumes.  
Lenon-  
court.

-non

*Bapalmæ**capræ.**10. Septembris.*

expugnatas post decem dierum obsidionem in Regis potestatem redegit. Indeque cum castra Hispanica ad Ariam, seu Marpesia cautes consisterent, decumano quasi fluctu in Audomarensem agrum irrupere.

*Audomarum periculo liberatur.*

Siquidem ipsum Audomarum (à quo aliàs repulli) fraude, ac proditione inuadere excogitabant: nisi Franciscus de Mello Comes Azumarius (qui paululùm ante in Belgium missus à Rege Legatus cum summo armorum imperio venerat) capto exploratore hostis consilium didicisset, eoque pacto proditio-

*Hautpont.*

nem, quæ iniectis in Altipontium, ut vocat, suburbium flammis excitanda erat, præoccupasset. Igitur his ita compositis, frustratis-

*Gallus recuperanda Ariam spem abiecit.*

que amouenda obsidionis tentamentis, quæ extrema fuerunt, Ariam obsessis defendendam reliquere: nam castra Ariensia, quæ non minus aggerum mole, quam militum fortitudine armabantur, non nisi totius Gallici exercitus clade, citraque victoriam impeti posse affirmabant.

Porrò qui in vrbe obsessi erant tam longâ suorum cunctatione, famisque tolerantia fatigati, spem animumque plurimi abiciebant,

non-



nonnulli tamē ne ignauie notā accerferētur ,  
 retinebant animos iam occupatæ Flandriæ  
 victoriā (provt opinabantur) cuique suppe-  
 tiarum moram attribuebant . Accedebat eò  
 Gubernatoris solertiā dictitare soliti: cogi Pa-  
 risijs exercitum, cui nulla parem unquam etas vi-  
 disse; aperiendos quippe illic potius carceres, ta-  
 bernasq; omnes, quam vt apud Ariam Gallicæ No-  
 bilitatis decora diutiùs occluderentur: se eam fidem  
 capitis etiam periculo sancitam tradere. Atque vt  
 ad fiduciam reliquos pertraheret, maectari  
 tandem equos, ac iumenta, quæ plusquā 400.  
 censebātur, imperauit alimenti gratiā. Hel-  
 uetij interim fide ad suum Tribunum (quem  
 suprā egrū memini) inuictā; postquā mors  
 quòque secuta est (quæ viro vt apprimè Cā-  
 tholico digna extitit) acerbè adeò tulerunt,  
 vt non solùm optimi viri obitum luctu prose-  
 querentur; sed & implicatā tot miserijs vrbe  
 diutiùs sine duce viuere propemodùm recu-  
 sarent. Enimuerò ingens adeò exorta est de-  
 inceps annonæ grauitas, vt equorum intesti-  
 na, fœdèque ad profluentem proiectas peco-  
 rum pelles quasi ad delicias colligerent: con-  
 statque canem ducato aureo æstimatum; gli-

Gubernatoris  
 solertiā susti-  
 nendo in vr-  
 be militi.

Heluetij ob-  
 marmarante

Caritas vic-  
 tualium.

rem sex assibus : frumenti modium quatuor Carolinis ; butiri pondo octo florenis Brabanticis : seui combustibilis pro butiro usurpati viginti quatuor assibus : bouinæ duodecim : equinæ septem : ouum gallinaceū viginti quatuor ; pyrum tribus. Simili propè in pretio ac delicio erant ranæ, limaces, fluuiales quædã herbæ, fungi, vulgarium denique radicum fibræ, quas multi è vicino agro, nostris etiam excubijs haud rarò impetiti decerpebant. Tantæ nimirum famis angustia erant, vt qui tandem biscoctitium, aut iusculo, aut aquâ temperatum panem fastidierant, ea, quæ iam memorauimus, dulciora vitæ præsidia viderentur. Exinde morborum cuiusuis generis enatâ clade Heluetij promiscuè hydropisim; disenteriam Galli ; frenesim debilitato cerebro perpeffi multi ; passimque per urbem tantum non viuax errantium, pallantiumque funerum species visibatur. Quanta porrò nosocomijs oppressio erat, argumento est mixtus morientium horridèq; ululantium gemitus, quibus sedandis non nisi iusculum equinum, aterque panis superesset.

*Morbi militum  
varij.*

Clouët.

Inter hæc Pater Nicolaus Clouëtius Gallus  
Socie-

Societatis Iesu, ac bellici nosocomij Præfectus, qui postea Ariæ defunctus est, vbi phar-  
 maca, cæteraque annona fouendis ægris de-  
 ficere cœpit, crebrò eos hortatus est, vt si mi-  
 nùs hostili ferro, saltem fame fortiter ( quia  
 captâ in vrbe ) pro Deo ac Rege mortem op-  
 peterent. His angustijs oppressâ ciuitate, at-  
 que ab Hispano sæpiùs ad deditiõem appel-  
 latâ, Heluetij diem à Gubernatore tãdem de-  
 finiendam petiére; qui vt moras protelaret,  
 dictum intra tempus, se aut nouam annonæ  
 copiam à ciuibus, aut litteras à Rege accepi-  
 sse affirmabat; quibus in proximo adesse sup-  
 petias protestabatur. Atque hæc asseuerante  
 illo multi è Gallis animum resumebant, iac-  
 titantes per sermonis licentiam se non priùs,  
 quàm humanis cadaueribus pasti essent, vr-  
 bem dedituros. Ad hæc Gubernator vt quod  
 allegarat mirificâ simulatione roboraret, vbi  
 erectis supra tures ignibus aduentanti quasi  
 præsidio signum dare visus est: ædes sacras  
 iuxta ac profanas querendæ annonæ gratiâ i-  
 terùm introspecti iubet: at non nisi frumenti  
 pauxillum, quod vix ad tres dies alendo mi-  
 liti satis esset, deprehendit. Quid tum verò?

*Extrema Gu-  
 bernatoris  
 protrahendæ  
 deditiõis  
 studia.*

vrgebat inediae sauities, quâ etiam velut ex virtute uti, desperatis quoque auxilijs Heluetij Gubernatorem arguebât; ac tum quidem annonariæ arcis clauis petiére, vt biscoctum panem certis mensuris, personis, diebusque addicerent: atque istud certè Gubernatorem adeò iniquo animo excepisse nonnulli affirmant, vt sæpiùs protestari auditus sit: malle se mortem, quàm acceleratam deditioem admittere. Neque inter iram astutiæ quoque oblitus, simulatis ipsius Richelij litteris, suppetias quâtòcius affuturas promittebat. Quod quidem multi, qui difficillimum per castra transitum exploratoribus nouerant, pro fucò accepère. Tanti nimirùm illi negotij erat vrbe dedere, vt præ illa nil moderati pensiq; haberet. Cæterùm dum in varia se torquet, versatque, eò tandem ab Heluetijs adductus, vt Regem de vrbe statu per litteras admone-ret; quamquam & animum Regis de dedèda vrbe satis antea exploratum habuisse multi putent. Verùm emissus vrbe nuntius, cùm in nostros per noctis tenebras incidisset; litteras quas deferebat Beckio reddere coactus fuit: geminæ erant obscuris notis (quas ciffras vo-

cant)

*Varia obsef-  
forū litteræ  
interceptæ.*

cant) exarata: alia vulgariter conscripta etiam geminae. Reserata igitur, & explicata litterarum ambage, vbi aperte de vrbe statu, Regisque voluntate constitit; Beckius patentes litteras obsessis remitti iussit. Tum dato signo aeneator Hispanus, deputatum statim à Governatore Henricum Villenouium Gallicae legionis summum Optionem ad locum, vbi nostri opperiebantur, adduxit. Et hinc de litterarum tenore, deque pertinacia pluribus actum: *periculosèque diutius differri, quod abs Regis animo, militumq; salute esset.* Villenouius interea dissimulando, remque cum hoste vltro agitare nolens, ad Governatorem retulit. Ille tamen interceptis, atque explicatis litteris perculsus nouam astutiam timori suo velum obtendere conatus est. Quippe ut nondum eam premi urbem penuriam simularet, geminae hebdomadis spatium rogauit, quo Legatus quispiam ad Regem mitteretur. At Franciscus de Mello, Beckius simul, ac Lamboius hominis calliditatem odorati respuere. Ille contra perturbari, angique, atque extrema quaeque minitari: nondum enim se ad ocrearum, & coriorum dapem redactum, ut ad

Villeneu-  
uc.

deditionem vel cogitandam descenderet, affirmabat. Multi interea miseriarum extremitate, atque angustijs oppressi ad nostros defectionem moliebantur, incertitudinem salutis ad exteros certo apud suos exitio præhabentes: quippe fames eò intolerabilior ijs visa, quò plurium morborum contagione armarentur. Militibus ergò eà ratione quotidie ad quadraginta circiter occumbentibus: mira apud ciues morborum immunitas, atque annonæ supplementum; vt merito Panariæ Virginis Ariensium Patronæ in hoc beneficium multi agnoscant. Credideris enim vel appellatione veteri (quæ à panibus eò in sacello distribui solitis ducta est) quasi cõmonefactam, ne quod supererat ciuibus annonæ, ipsismet exitio esset. Quod certè quamplurimis ciuium in abscondendo frumento suggesta solertia, è diuerso Gallis veluti caligo, ne id reperirent, documento, tantumque non prodigio fuit. Accedit eò quoque Lucæ Latrij Pastoris, ac Christianitatis Decani Illustris virtutis monumentum. Is enim cùm bouem intra penates hæctenus occultam, in pauperes tandem, amicosq; erogasset; sceleris coram Gubernat-

*Militum in urbe funera.*

*B. Virginis Panaria beneficio ciues à fame præseruantur.*

*De Lattre.*

berna-

bernatore accersitus palàm edixit: *se vicariũ Christi agere, quando ipse pro Rege Gubernatorem ageret: ac proinde nihil se vereri; & quia pietatis causa esset, maius sibi à custodia & vinculis decus accessurum.*

Interea tēporis cùm hostis, quia iam diuturnis calamitatibus pressus, de deditioe cogitaret, spem illi aliquam Geüræus & Gassionius attulêre: nempe quos de obsessis Rex sollicitus cum tribus equitum millibus non tam moliendi quidpiam, quàm simulandi aut terrendi causâ immiserat. Et verò non nisi ad primas excubias, quæ remotæ trans aggeres erant, accessêre. Porro in vrbe ingenti animo, maiori spe milites erecti, gladio simul, clypeoq; armati portas euadere, pariter machinas admouere, vndique nostris instare: donec per obscurissimæ etiam diei caliginem Beckius cōposito exercitu vtrimque hostem tantùm non armis; sed aspectu metuque fugauit. Demum quia hostis nec stare diutius, nec suppetiarum spem interclusam sibi ignorare posset: Gubernator suos in consilium adhibuit, quibusnam tandem pactis laudabiliter urbem, cùm necesse esset, Hispano traderet.

*Galli per suppetiarũ speciem adueniant.*

*28. Nouembris.*

*Obsessorum de dedenda vrbe consultatio.*

*1. Decēbris.*

ret. Multi hinc ne fortè suspicioni obnoxij redderentur, ad Gubernatoris sententiam sese referebant, malentes eiusmodi discrimen alieno arbitrio, quàm suo decerni. Cùmque idcirco res aliquamdiu protraheretur, pertinaciæ pœna fuit deditioem vltro petere, quam antea oblatam respuissent: & hos ad primam postulationem pœna (vt ita dicam) talionis secuta est. Nam cùm tormenta omnia, bellicamque suppellectilem, quam sumptuosissimam discedens festinatò exercitus in vrbe reliquerat, postularent: confestim nec frigidius quàm ipsi antea fecerant, ad suos ipsi deputati remissi sunt. Quam repulsam Gubernator, vt iniquius ferre se ostenderet, explosis tormentis, inter metum periculumque obstinaciâ quasi pro virtute vti visus est; decreto in posterum ciuibus exilio, nisi fortè ijdem ipsi Hispanos ad moderationem inflecterent. Interea ciues, qui in castris aderant ad sui Regis ditionem patriamque redeundi cupiditate accensi fortunarum suarum iacturam pati potiùs, quàm suam, suorumuè qui in vrbe manserant, diutiùs miseriam protrahi malebant. In vrbe verò maximam

*Obsessorum  
postulationes  
reselluntur.  
3. Decēbris.*



mam inter trepidationem non parùm angī,  
supplicijſque Gubernatorem adire, vrgere vt  
moderatiùs cōponendę tandem rei, quoniam  
ad vltima perueniſſet, animum applicaret.

Ciuium igitur, quibus RR. PP. Iuſtinus  
Patinierius Terüannenſis Capucinus, & Ni-patinier.  
colaus Brunius D. Auguſtini ad Terüannam Le Brun.

alumnus acceſſerant, precibus delinitus ter-  
tio Decēbris Æneatorem pro deditio- 3. Decēbris.  
nitione ineundã ad Franciſcum Comitem

Azumatum emiſit. At hic vt tardiorem ſe vſ-  
que obſtinatis per ſpeciem oſtēderet, ad Bec- 4. Decēbris.  
kium remiſit. Exinde Æneator cùm Fortun-

couium Chiliarcham, Villenouium; Iacobũ  
Laubertierium æquẽ è ciuibus nonnullos ad- Laubertier.

ſciuiſſet. Datã tandem acceptãque pactionis  
fide, litteras Gubernatori ſubſignãdas poſtri- Dedita vr-  
die retulere. In ijs autem paria ſuperioribus bis pactiones.

habebantur: neque Gallis facultas vltra duas  
machinas æneas efferendi indulta, relictiſ in  
vrbe obſidibus donec noſtri Heſdinio, quò  
deducendi hoſtes erant, reuerſi; reſq; ciuium  
ad pactionis fidem reſtituta eſſet. Atque ijsdẽ  
ciuibus iuramẽto Gallorum Regi preſtito ab-  
ſolui rogantibus edixit Beckius: *Arienſium ſi-*

1133

P

*delita-*

*delitatem, quam Ferdinandus sepe numero laude, beneficio quoque prosequi voluit, nullatenus (quia coacto iuramento) deturpatam, aut violatam fuisse. Proinde quoduis aliud extra iuramentum, Regis quoque consensu, pristinae libertati restitui voluit. His ita peractis nonis Decembris Claudio Lamoraldo Linæ Principi Attrebatensis porta: Ioâni de Oroasco summo Optioni vr̄bis administratio: Comiti Fonsaldanio summo tormētorum Præfecto & Ioanni de Salado annonæ Commissario armamentarium cessere.*

Egressi igitur septimâ Decembris ipsâ Diui Andreae octauâ (quam præeunte suæ Crucis prodigio ominosam fecerat) ex oppido Galli Hefdinium versus altâ niue difficiliq; itinere perrexere; nam plures trecentis per viam occubuisse constat. Iuuantibus tamen viuos ipsos mortuis, quorum excisis carnibus famem fugasse non pauci certò affirmant. Contrà ciues è vicinis oppidis in vr̄bem, suosq; ad penates miro vtrimque occurfantium gaudio redire: clementia quoque in hostes vsi, ne vel malè mulctatos diutiùs apud se retinerent. Atque hic tandem iteratus Ariæ exitus fuit, quem

quem inter tot rerum humanarum vicissitudines, atque miserias, edita terrâ cœloq; portenta varia fœlicem postremo fore protenderant. Certè vel ex eo quòd Ludouicum XIII. Gallix Regem scriptis trigestimâ Iullij ad Parisienses litteris testatum fuisse certò constat, fortissimos videlicet ac fidissimos ciues non nisi extremis belli machinis adigi potuisse, vt Gallico imperio subijcerentur; equum erat vt ad Philippum IV. Hispanix Regem citò redirèt: cui vt fides seruaretur fortunas omnes, seque, ac suos liberos periculo vltimo exposuisse, semper gloriae sibi, victoriaeque etiam expugnati reputauère.

## FINIS.

*Cur B. Virgo Ciuitatis Ariensis protectrix.*

Inuertas Ariam; fit littera versa Maria:

Aria Marię quàm propè nomen habet,


*Cronographicum.*

anna aRIaM Vt IVnXIIt: DIslVnXIIt bar-  
bara gaLLO.

NOMINA



AVDOMARI,  
Ex Typographia Viduæ CAROLI BOSCARDI,  
sub signo Nominis I E S V. M. DC. XLIV.



AVDOMARI